Biblioteka publiczna
ELBLĄG

A XX. 2.

BIBLIORVM

QVAE

IN PVBLICA

GYMNASII ELBINGENSIS BIBLIOTHECA

EXSTANT

MAGNA EX PARTE

ANTIQVISSIMORVM ET RARISSIMORVM

RECENSIONES

AVCTORE

IOANNE LANGIO

ATHEN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE TYPIS NOHRMANNIANIS.

MDCCLXVI.

ELB. GYMN. BIBL.

Bibliotheca
XVIII. 62
Zb. Sp.
220481
Miejska Biblioteka Publiczna w ELBLĄGU
87.27
97696
18 220
929
72

LECTOR BENEVOLE.

Ex quo laudabilem Publicae Gymnaſii Elbingenſis Bibliothecae curam, a MAGNIFICO & AMPLISSIMO Civitatis patriae MAGISTRATV mihi demandatam ſuſcepi: alios inter, quos Rectoris ſecum fert Sparta labores, omnem dedi operam, ut in augmentanda & ornanda librorum ſupellectili PATRONORVM GENEROSISSIMORVM expectationi facerem ſatis, tandemque publicum aliquot Officii mei exſtaret monumentum, levidenſe licet, vileque.

Arridebat primo ſtatim obtutu in Bibliotheca magnus ille Bibliorum, quibus ingens antiquitatis & raritatis eſt commendatio, apparatus, a Muſagetis cum indigenis tum extraneis quotannis fere auctus. Placuit itaque eorum recenſiones in actibus maxime Encaeniorum Gymnaſii annuis programmatis loco per vices ſubinde in lucem mittere publicam, & ne ſingulae plane pereant, eas, quae ſuperſunt, paucas ab interitu vindicare, conjunctimque jamjam tradere.

Inde

Inde eſt, ut nullas, LECTOR, in his recenſionibus deprehendas paginarum enumerationes, ne forte programma, a pagina e. g. 24 vel 36 incipiens, indoctos in ſuſpicionem fraudis, falſique adducat. Quo vero ex indice, in fine adjecto, Biblia, quae quaeris, in opuſculo ipſo invenire poſſis, ſcias, non paginas, ſed plagulas, literis initialibus indicatas, evolvendas eſſe. Quod autem ad illos, qui in Publico adhuc librorum apparatu ſuperſunt, aut qui liberali Maecenatum animo inpoſterum addentur, Codices attinet ſacros, eorum etiam recenſiones me, ſi DEVS volet & ego vivam, ſpicilegii nomine, ſuo tempore luci expoſiturum eſſe publicae, fidem facio.

Vale interea, LECTOR BENEVOLE, & ſicuti opellae huic exiguae, ita & ejusdem, quod quam demiſſiſſime rogat, fave

Elbingae,
d. XVII. Febr. MDCCLXVI.

AVCTORI.

Praeſtantiora inter ſcientiae promovendae adminicula utiliſſimam praeter & frequentem cum viris doctis converſationem, qua MORHOFIVS a) ad informationem nihil commodius eſſe fatetur, inſtructiſſimas inſimul eruditionis omnigenae officinas, b) Bibliothecas tam publicas quam privatas, haud ultimum occupare locum, vel optimi omnium ſaeculorum teſtantur eruditi. c) Quem enim fugit, nullam tam ſterilem tamque jejunam doctrinae dari partem, ut ſolida ejus tractatio non aliquem ſubſidiorum in ejusmodi ſupellectile literaria invenire poſſit apparatum, ex cujus uſu quotidiano ulteriores ſtudiis acceſſiones facere & novas ex his veluti horreis colligere valemus ingeniorum

a) in *Polyhiſt. liter.* L. I. c. XV. §. 47. p. 180. edit. *Lubec.* 1708.

b) quo nomine IAC. PHIL. THOMASIVS *in ſcript. de Bibliotheca Veneta* exornavit Bibliothecas.

c) conf. MORHOFIVS l. c. L. I. c. III. p. 22. ſequ.

meſſes. Sicuti hinc OVERBECKIVS d) Bibliothecam artium quandam ac ſtudiorum magiſtram & omnis eruditionis praeceptricem nominat: ita eodem teſte e) DANIEL HEINSIVS, illam totius quaſi ſapientiae armamentarium & domicilium, eruditionis ſedem, ſecuriſſimum literarum ſacrarium, magnarum animarum prytaneum & quaſi capitolium aeternitatis eſſe, gloriatur. Quocum CHRISTOPH. utique COLERVS, cui cum OVERBECKIO hoc HEINSII encomium, in laudem Bibliothecarum prolatum debemus, apprime conſentit, dum alia inter egregia & lectu digniſſima ita ſcribit: f) hic (in Bibliotheca ſc.) habitant divinae & humanae ſapientiae magiſtri, generis humani praeceptores, omnium ſcientiarum myſtagogi, cuſtodes temporum, rerum & perſonarum, veritatis aſſertores, mortui conſiliarii, populorum legati & interpretes.

Quae vero omnium rerum ut & divinarum ac humanarum ſcientiarum eſt natura, ut a primis incunabulis non niſi ſucceſſu temporis ad eam, quam tandem adipiſcuntur, aſſurgant magnitudinem: eadem & Bibliothecarum erigendarum ac conſtituendarum ſemper fuit conditio. Ex viliſſimis enim & tenuibus ſaepe initiis haud contemnendam & numeroſam exortam fuiſſe librorum ſupellectilem, vel publica Gymnaſii Elbingenſis, ut reliquas ſilentii peplo involvamus, nos docet Bibliotheca. g) Cujus curae obeundae dum ab anno ſaeculi hujus jam

d) in *oratione*, *quam cum duabus aliis quondam habitis Lubecae edidit*, 1745. p. 114. &c.

e) l. c. p. 116.

f) in *orat. auſpicali*, *qua Biblioth. Mario-Magdalenam apud Wratislavienſes aperuit*, p. 35.

g) vid. b. G. D. SEYLERI, Gymn. Elb. quondam Rectoris meritis & eruditione longe

jam quadrageſimo ſexto rationem humeris meis impoſitam eſſe, laetus memini, ſpe lactor firmiſſima, fore ut illud vel ex variis Bibliorum, quae in eadem continentur, editionibus recenſendis dijudicandisque, quam facillime demonſtrem.

Dices quidem: habeo, quos legam, Sacri Codicis Scriptores non minus diſertos, eruditos, acres & perutiles, KORTHOLTVM, h) FABRICIVM, i) ZELTNERVM, k) BOERNERVM, l) KNOCHIVM, m) & permultos alios, quos BVDDEVS ordine refert, n) qui hunc laborem, hocque ſtudium tanti fecere, ut in adornandis Bibliorum recenſionibus multum operarum multumque temporis adhibuerint. Etiam: ſed quemadmodum unius rei, ut vulgo dicitur, plures eſſe ſolent fines: ita ſcias utique, non eum modo laboris praeſentis ſcopum, eumque finem eſſe, ut illorum ſtudium, qui in evolvendis perſcrutandisque antiquis & rarioribus Bibliorum editionibus occupati ſunt toti, adjuvemus: ſed ut & ſciendi cupidos, quae ex editionibus Sacri Codicis in Bibliotheca noſtra publica adſunt, quaeque adhuc deſiderantur, do-

 ceamus;

---

longe dudum lateque Celeberrimi *diatypoſis Bibl. Elbing. Publicae*, ut & Clariſſimi DN. Prof. P. Collegae ac Amici Colendiſſimi M. IAC. WOITII diſp. *de incrementis ſtudiorum per Polonos & Pruſſos.* c. III. §. 23. p. 69. &c.

h) *de variis S. S. editionibus.*

i) in *hiſtor. Bibl.*

k) *de novis Bibliorum verſionibus.*

l) in *Bibliotheca ſacra* IACOBI le LONG.

m) in den hiſtoriſch-critiſchen Nachrichten von der Braunſchweigiſchen Bibelſammlung.

n) in *Iſag. hiſtor. theol. L. poſt. c. VIII.*

ceamus; imo ut tandem, ſi quae forte in civium ſcriniis pulvere obrutae adhuc deprehendantur editiones rariores, antiquae & perutiles, illas meliori omnino conditione dignas, a ſqualoris & oblivionis vitio liberemus, & hac inſimul via apparatum Bibliothecae patriae ornandi ac amplificandi, pariterque & augmento ejus atque gloriae deſerviendi anſam praebeamus exoptatiſſimam.

Vt itaque a Sacri Codicis editionibus, in varias linguas translatis, initium capiamus, primum ſane oculis ſe noſtris commendant

BIBLIA POLYGLOTTA ANTWERPIENSIA

VIII *Vol. in fol. per CHRISTOPH. PLANTINVM, 1569 - 1572 excuſa.*

Haec feliciſſimis PHILIPPI II. Reg. Hiſp. auſpiciis & ſumtibus charta auguſta in lucem emiſſa, V. T. Hebraice, Chaldaice, Graece & Latine; N. vero Graece, Syriace & Latine exhibent. Regio huic operi incudendo, FRANCISCO RAPHELENGIO & NICOLAO FABRICIO adjuvantibus, BEN. ARIAS MONTANVS & GVIDO FABRIC. BODERIANVS tantum diligentiae tantumque ſtudii impenderunt, ut Theologi praeſtantiſſimi & eruditione ac pietate conſpicui illud ſemper in pretio & admiratione habuerint. Imo, ſicuti teſte MAICHELIO o) illa N. T. editio, quam ROB. STEPHANVS A. 1549 typis expreſſit, ob ſequentia praefationis verba: o mirificam Regis noſtri — — liberalitatem, a librariis plerumque, o mirificam! dicta eſt: ita, quod magis mirandum, Cel. WALTONVS

o) in *introd. ad hiſtor. liter.* c. II. §. 22. p. 145.

NVS refert, p) Biblia haec Antwerpienſia a quibusdam orbis adeo miraculum eſſe appellitata. Cui encomio ſatis thraſonico ipſe forſan ſtravit viam ARIAS MONTANVS, horum editor & promotor Bibliorum. Quippe, ut legere eſt apud BOERNERVM, q) laudatus modo MONTANVS in oratione ſua ad GREGORIVM XII. Pontif. Max. habita, in laudem hujus editionis ſequentia addidiſſe dicitur nimis gloribundus: "quod ad operis hujus, integritatem "attinet, ego BEN. ARIAS offero Sanctitati Veſtrae Biblia ipſa a "me a prima pagina ad ultimam usque diligenter — — "perlecta, — — tanta fide, ut non ſolum, ſi verbum ali- "quod depravatum deprehendatur, ſed ſi vel unus apex aut "iota in illis merito deſideretur, — — ipſe perpetuam "ignorantiae & negligentiae notam ſubire velim." Interim non RICHARDVS modo SIMON r) in hoc opere Antwerpienſi quaedam deſideravit, & SELNECCERVS nonnulla in eodem cum ſalis grano legenda eſſe obſervavit: s) ſed quae inprimis circa pronomen הוּא cum circulo Maſorethico pro הוּא Gen. III, 15. monenda ſunt, ex REIMANNO t) fuſius exponit KNOCHIVS. u) Sicuti vero vituperandae dicti hujus corruptionis auctorem GVIDONEM FABRICIVM fuiſſe conſtat: ita FRANC. RAPHELENGIVM A. 1584 illud

p) in *praef. ad Bibl. polygl. Londin. & proleg. IV.* p. 33.

q) in IAC. le LONG *Bibl. ſacra*, c. l. p. 24.

r) in *catal. praecip. Cod. Sacri edit.* p. 516. &c. add. BVDDEI *Iſag. theol.* p. 1474.

s) in *arc. Bibl. Thom. Lipſ. ſacris*, p. 49.

t) in dem ſyſtematiſch-critiſchen catal. ſeiner Biblioth. p. 193.

u) in den hiſt. crit. Nachrichten von der Braunſchweig. Bibelſamml. I. B. p. 12.

emendatum reſtituiſſe, legimus. w) Ipſa ergo loci hujus emendatio, Targumo, LXX, multisque Patribus, imo ipſo HIERONYMO adſtipulantibus, lectionem per הוּא inſtituendam vindicat utut veram & genuinam. Interea obſervandum eſt, haec Biblia polyglotta, quae locum per יְהוָה exponunt, ad libros pertinere rariſſimos: x) quippe eadem mare iratum experta fuiſſe, docet SCHELHORNIVS. y) Et illa ſunt, quae compta, elegantia atque integra Bibliotheca Gymn. noſtri Publica ab A. 1606 poſſidet ex munificentia magni quondam Maecenatis, ANDREAE MORENBERGII de BAROTHOWITZ, Patricii Wratislavienſis & Conſulis poſtea Elbingenſis, qui & in quovis Tomo inſignia Morenbergiana depingenda ac coloribus ornanda curavit. Qui vero plura de opere hocce vere regio legere cupit, adeat Clariſſimos illos in orbe literario duumviros IO. CHR. WOLFIVM z) & IO. GOTTL. CARPZOVIVM. a)

Praeter ea proſtant in Bibl. Gymn. Publ.

BIBLIA POLYGLOTTA FRANCISCI VATABLI,

quae Hebraice, Graece & Latine duplici interpretatione, veteri altera, altera SANTIS PAGNINI nova, *II. Vol. in fol. ex officina Commeliana*

---

w) vid. die Nachrichten von einer Hälliſchen Bibliothec. I. St. p. 1.

x) vid. VOGTII *catal. libr. rariorum.* p. 92. 93.

y) in T. II. amoenit. p. 398.

z) in Bibl. Hebr. T. II. p. 341. &c.

a) in *Critica ſacra.* p. 391.

meliana 1599 prodierunt, b) cui & N. T. Graeco-Latinum BEN. ARIAE MONTANI Hiſpalenſis accedit. Piis ac eruditis VATABLI annotationibus additi ſunt, quos ille nonnunquam omiſit, idiotismi & verborum difficiliorum radices, omnibus cum editione Complutenſi diligenter collatis. Adhaec huic praemiſſus eſt Codici Sacro index teſtimoniorum, a Chriſto & Apoſtolis in N. T. ex V. citatorum, evidentiſſime exponens, promiſſiones, quae in Lege, Pſalmis & Prophetis ſcribuntur, ad unam impletas eſſe omnes. Hunc Bibliorum Codicem, tribus adornatum linguis & eruditis illuſtratum annotationibus, juvandi boni publici ſtudio Bibliothecae Gymnaſii dedit, donavitque A. 1606 Amplisſimus DN. GEORG. WIDER, Conſul Reipubl. Elbingenſis quondam Graviſſimus.

His merito addimus ex Bibl. Publica

NOVVM TESTAMENTVM POLYGL.

ſtudio & labore ELIAE HVTTERI

Norib. 1599. I. II. Vol. editum. c)

Quae editio vel ſola verſionum copia ſpectabilis, 12 idiomata, apte invicem e regione verſibus diſtinctis convenientia, ſequenti ratione diſpoſita exhibet:

Syriacum, Hebr. Graec. Latin. German. Bohemicum, Italicum, Hiſp. Gallic. Angl. Danic. Polonicum.

Textus Syriacus literis Hebraicis, ſed additis punctis exponitur:

---

b) conf. IAC. le LONG *Bibl. ſacra ex edit.* BOERNERI, c. l. p. 25.

c) vid. IAC. le LONG, *l. c. c.* 1. p. 55. & KNOCHII Braunſchw. Bibelſamml. 1. B. p. 30.

tur: verſio autem Latina ex vulgata editione, Germanica ex editione LVTHERI, Hiſpanica ex CASSIODORI de REYNA translatione eſt petita. Quod vero ad Hebraicam N. T. verſionem, HVTTERVS in praeloquio, alteri Tomo Germanice praemiſſo fatetur, ſe, dum illam apud neminem, nec in praeſtantiſſimis Bibliothecis invenit, totum N. T. in Ebraicam linguam primum ſolumque ac omni aliorum auxilio deſtitutum convertiſſe. Eadem vero in conſignandis Hebraicis literis, qua in Bibliis V. T. uſus eſt methodo: quippe literae radicales nigrae, ſerviles concavae & in medio albae, deficientes vero & quieſcentes minori charactere in ſuperiori ordine ſunt adjectae. Ad haec epiſtolam Pauli ad Laodicenſes ſcriptam, quam nuſpiam, niſi in Latino FABRI STAPVLENSIS commentario in N. T. & in IO. DIETENBERGERI Bibliis Germanicis Colonienſibus ut & in Bohemicis, Pragae excuſis, ſe inveniſſe fatetur, in 12 itidem linguas converſam addidit, eique inter illam ad Coloſſenſes & eas inter, quas Paulus ad Theſſalonicenſes ſcripſit, in T. II. locum vindicavit. Promiſit & aliam adhuc N. T. editionem, ex duodecim etiam conſtantem linguis, Arabica ſc. Aethiopica, Ruſſica, Turcica, Tartarica, Vngarica &c. quo ad numerum 24 literarum, DEI, magni illius A & Ω 24 itidem linguis exponere voluntatem laudesque canere poſſet. Quae res, Codicem HVTTERI Sacrum eo pretiorem reddit, efficitque, ut eo ſparſius, eoque rarius in Bibliothecis inveniatur. d) Illum, quem Bibl. Gymn. poſſidet N. T. Codicem Spectabilis urbis patriae civis ZACHARIAS RIEDT jam A. 1605 Muſis benevole obtulit Druſiacis.

Re-

d) Qua ex cauſa IO. HENR. HOTTINGERVS *in Bibliothecario ſuo*, p. 142. opus illud & rarius vocavit.

Redeo a N. T. polygl. quod ſumma ELIAE HVTTERI prodiit cura, ad ipſa, quae in Publ. Gymn. Bibliotheca exſtant,

BIBLIA HEBRAICA HVTTERIANA,

quae *primam Bibliorum quadrilinguium partem* conſtituunt, & ſingulari plane ac nitidiſſima characterum forma, ut in rubro legimus, A. 1587 per IOANNEM SAXONEM *in fol. Hamburgi* typis excuſa ſunt. Quanquam & in effigie addita, codex noſter A. 1596 Hamb. primum editus dicitur: imo in eodem adhuc T. opus hoc quadripartitum etiam *in Bibliopolio Froberiano* A. 1603 prodiiſſe ſcribitur. Qua annorum diverſitate eo facile adducor, ut ſententiae BOERNERI calculum adjiciam, affirmantis, e) hanc de A. 1603 (quamvis illam *ex Bibliopolio Commeliano* prodiiſſe ſcribat,) aeque ſuppoſitam eſſe editionem, ac illam, A. 1596 in lucem emiſſam: niſi praeſtaret cum aliis f) contendere, haec ELIAE HVTTERI Biblia Hebraica de A. 1587 primam conſtituere partem Bibliorum polyglottorum DAV. WOLDERI, quae A. 1596 Hamb. prodierunt. Qua in re diverſitas forſan calculi & natalium hujus editionis latere videtur. Horum Bibliorum editionem debemus M. ELIAE HVTTERO, Germano, tanta ſcientiarum & dexteritatis laude incluto, ut Profeſſor Lipſienſis A. 1579 in Aulam Dresdenſem vocaretur, quo AVGVSTVM, Electorem Saxoniae, linguam Hebraeam doceret, & quidem beneficio compendiario Cubi & Quadrati, cujus ſchema una cum ſpecimine harmoniae Graecae & Latinae linguarum, ut & operis polyglotti ad Pſalm. XVII, quod ex 31 conſtat linguis, in prima, quae auctoris eſt, exhibetur praefatione. Codex hic Hebraeus g) in uſum ſenum, quos oculi nonnunquam fallunt, elegantes, novos & majusculos habet characteres: quo

e) in *Bibl. ſacra. p.* 27.

f) in der hiſtor. critiſchen Nachricht von der anſehnl. Bibelſammlung zu Braunſchweig. P. I. p. 28. & 33.

g) de quo vid. CARPZOVII *Critic. ſacr.* P. I. c. 9. p. 406 &c. & VOGTII *Catal. libr. rariorum.* p. 93.

vero & adoleſcentes, parum adhuc exercitati, habeant, quod illorum ſtudium facilitare poſſit, literae pari ratione, ordine ac figura ſcriptae reperiuntur, ut illas in N. T. polygl. ſcriptas fuiſſe indicavimus, ne ſanctae linguae ſtudioſi Grammaticis diu inhaereant praeceptis, ſed cum prima lectione textum Biblicum & res ipſas ſine ambagibus aggredi poſſint. Hunc Bibl. quadrip. T. Imum, h. e. Biblia Hebraica Viro plur. Reverendo Doctiſſimoque Dno. IOANNI CHRISTOPH. DOBLIN, Eccleſiae Hermsdorffienſis in Comitatu Donavienſi Paſtori fideliſſimo, qui ea A. 1737 benevole donavit, accepta referimus.

Ad rariſſimas S. Codicis editiones, jam ante LVTHERVM natum publici juris factas pertinent, quae porro exſtant

BIBLIA LATINA VVLGATA

Venetiis opera atque impenſa NICOLAI IENSON

in fol. A. 1479, ut in calce Apocalypſeos legitur, ita impreſſa, ut quaelibet pagina binis columnis, & columna quaelibet 51 conſtet lineis. Editis enim ab eodem Auctore jam A. 1476 Bibliis h), noſtro, eidemque ſecundo SS. codici, *literis Gothicis* edendo i) manum admovit IENSON, inclutus ille poſt FAVSTVM & SCHOIFFERVM artis typographicae Magiſter & felix ALDI PII MANVTII, celeberrimi temporis ſui typothetae, in eadem dux & anteſignanus k). Sunt, quae in his Bibliis ſicco praeterire pede non licet. Prima cujusvis libri aut capitis litera eſt minor, & quidem figura Romana: altera vero major, ſed Gothica, quarum illa in medio majoris literae colore viridi nonnunquam, plerumque autem rubro vel coeruleo adſcriptae, incluſa legitur. Pſalmi Davidis, quorum numerus in ſummam CLXXI excurrit, inſcribuntur liber Pſalmiſta: & Apoſtolorum acta, quae h. l. actus vocantur, epiſto-

h) de quibus vid. THEOPH. SINCERI Nachrichten von lauter alten und raren Büchern. 2. St. p. 60.

i) de quo conf. KNOCHII hiſt. crit. Nachricht von der Braunſchw. Bibelſamml. 9. St. p. 773.

k) teſte OPITZIO *in incunab. typograph.* p. 19.

epiſtolam ad Hebraeos demum ſequuntur. Simplex e loco ae & oe ubivis occurrit & tot, tamque inſolitae leguntur abbreviationes, ut in nonnullis locis vitii typographici haec facile ſuſpecta reddi poſſit editio. Quo vero ipſa ſcribendi ratio pateat, unico ſaltem exemplo illam juvabit ob oculos ponere, deſumpto ex 1. Ioa. V, 7. ubi Apoſtoli verba ſic ſe habent: *Qm̃ tres ſũt qui teſtimoniu3 dãt ī celo: pẽ̃ vbũ ⁊ ſp̃s ſc̃s: ⁊ hi tres unũ ſũt. Et tres ſũt qui teſtīoniũ dant ī terra: Sp̃s aq̃ ⁊ ſãguis: ⁊ tres unũ ſũt.* Neſcio, utrum adjiciam, in Bibliorum calce Apocalypſi Ioannis additas eſſe interpretationes Hebraicorum nominum ſecundum ordinem Alphabeti, in S. S. paſſim occurrentium. Cui denique indici coronidem imponit, ut legitur, *Regiſtrum biblie.* Primum felicemque horum Bibliorum poſſeſſorem, ſive ille ſit SIMON LOISSIVS, ut additum ſuadet nomen, ſive etiam ante hunc alius, ut ex diverſitate ſcripturae, in marginibus additae, divinare datur, diligenti quondam ſtudio, ſummaque pietate in ſcripturis ſcrutatum fuiſſe, credere licet. Lineola enim praeſtantiſſimas in epiſtola HIERONYMI, S. S. praemiſſa, notavit ſententias, e. g. hoc tantum ſcio, quod neſcio: avaro deeſt tam, quod habet, quam quod non habet: victus & amictus divitiae Chriſtianorum ſunt: facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Ad marginem Bibliorum obſervationes addidit varias, imo in textu ipſo quaedam proſequutus eſt lima. Sic e. g. Gen. III, 15. ubi: ipſa conteret caput, expreſſum eſt, pronomine ipſa deleto, loco ejus ipſum ſuperne ſcripſit.

Adhaec ante LVTHERVM natum prodierunt ſequentia, quae itidem in Bibl. Gymn. exſtant, eademque rariſſima

BIBLIA LATINA VVLGATA
cum Poſtillis NICOLAI de LYRA Gothice 1481.
in fol. min. emiſſa.

Dolendum eſt, quod de hoc perpulchro antiquitatis opere Volumen ſaltem Imum, a Gen. ad Paralip. usque excurrens, in Bibl. Publ. exſtet. Quantum vero ex diligenti cum aliis collatione conjecturare licet, videtur idem eſſe codex, qui a Cel. KNOCHIO l) recenſetur & impenſa curaque ſingulari IO. de COLONIA, NICOLAI IENSON, ſociorumque *III Vol. 1481 Venetiis* editus eſſe dicitur. Quod ad noſtrum attinet Volumen, illud ex nitidiſſima charta & elegantiſſimis conſtat Gothorum literis, quarum majores textum biblicum: minores autem LYRANI poſtillas, BVRGENSIS additiones, DORINGII replicas, &, quae ſunt reliqua, quaternis exprimunt columnis. Magnae autem, quae in principio Prologorum adſcriptae ſunt, optimis coloribus, multoque auro diſtinctae, & variis figuris ornatae apparent literae. Ab initio ſtatim legitur (ut ipſa ſcripturae, quae h. l. eſt, utar ratione) *prologus in Bibliam*, qui ſic incipit: *Prologꝰ primꝰ Venerabil' fratris Nicolai de lyra ordinis ſeraphyci Franciſci: in teſtamentū vetus de cōmēdatione ſacre ſcripture in generali.* Figurae e. g. archae Noachicae, tabernaculi Moſaici, ejusdemque partium, ut & vaſorum, cultui ſacro deſtinatorum, ligno inciſae, magna ex parte duplici ratione, ex mente ſc. Doctorum Catholicorum, ut Exod. XXV, dicuntur, & Hebraeorum inſertae ſunt. Secundum hos e. g. Cherubimi l. c. ex utraque parte propitiatorii ſuperne ſtantes, verſis vultibus & manibus complicatis ſe reſpiciunt: ſecundum illos vero ad utrumque archae latus non ſolum in terra ſtant, ſed ad deſignandum etiam angelorum circa thronum DEI aſſiſtentiam, propitiatorium inſimul ſuſtentant. Mare aeneum 3. Reg. VII, ſecundum D. Latinos rotundum & in ſuperiori parte latius: ſecundum Iudaeos vero in ſuperiori parte itidem quidem eſt rotundum,

1) in der hiſt. crit. Nachricht der Braunſchw. Bibelſamml. 10. St. n. CXXXVI. p. 787.

tundum, aſt in inferiori quadratum, cujus quodlibet latus ternis ſuſtentatum bobus, aliquam reſpicit coeli regionem. In figura ſummi Sacerdotis, veſtibus ſuis induti, Exod. XXVIII, oculos maxime incurrit lamina illa aurea, pendens in fronte ipſius, in qua nomen Domini tetragrammatum יהוה inſcriptum legitur, ea tamen inſolita ratione, ut illa ad modum lunae corniculatae, cornua ſuperius & convexum inferius habentis, facta ſit. Exhibetur etiam Exod. XXXII, duplex tabularum decalogi figura ſecundum Hebraeos aeque ac ſecundum Doctores, Auguſtini veſtigia prementes, ex quibus hi in I. tab. tria, & in poſteriori ſeptem: illi vero in I. tab. quinque, & in ſecunda itidem quinque ponunt praecepta. Hunc codicem Vir pl. Reverendus Doctiſſimusque IACOBVS KLEIN, Elbingenſis & p. t. Miniſter verbi divini Fideliſſimus, ad Indos orientales Protectore Daniae Rege miſſus, Bibliothecae A. 1737 in teſſeram grati animi dono dedit, quo, hactenus alumnus Gymnaſii patrii, Fridericianam, quae Halae floret, petiturus Academiam, memoriam ſui commendare voluit.

His omni jure annumeramus Latina, quae ſub ſequenti titulo in Bibliotheca Gymnaſii exſtant:

BIBLIA SACRA

utriusque Teſtamenti diligenter recognita & emendata non paucis locis, quae correpta erant, collatione Hebraicorum voluminum reſtitutis &c.

Editorem codicis hujus admodum rari, qui, ut ex calce patet, *Norimbergae* per *FOEDERICVM PEYPVM* ſumptu integerrimi Viri, *IOA. KOBERGERI*, Norimbergenſis *A. 1523*, & quidem *typis Gothicis in fol.* prodiit, promiſſis ſtetiſſe, ideoque haec Biblia inter editiones Vulgatae vix ac ne vix quidem locum habere, illi facile animadvertent, qui eadem oculo ſaltem fugitivo percurrunt. Sic enim e. g. Gen. III, 15. ubi Vulgata vocabulum

ipſa habet, hic codex legit ipſum, & quae in illa Gen. III, 8. 15. VI, 6. VIII, 7. ut ſuperflua addita ſunt, in noſtro bona fide in margine indicantur tanquam ſuppoſita, quae in Hebraeo textu minime deprehenduntur. In fronte ipſius codicis HIERONYMVS, genua flectens, precesque ad DEVM fundens apparet. Ad haec Pſalmi ſaltem CL numerantur & Acta Apoſt. ſuum poſt Ev. Ioa. occupant locum. Prior cujusvis capitis litera jam typis expreſſa eſt ornatis, & quanquam non commata, puncta tamen & ſemicola hic codex jamjam habet impreſſa. Imo loco ae vel oe non ſimplex e, ut in priori codice, ſed diſtinctionis gratia hoc modo ę ſcriptum legitur. Tandem annotaſſe juvat, N. T. Canonis Euſebiani praemiſſas eſſe tabulas, quarum ad marginem 4 Evang. additis locis parallelis, mentio injicitur. Interim nec deſunt & in hoc codice vitia, ex incuria typothetarum ſurrepta. Sic enim e. g. Malachias Propheta c. I, Machias dicitur Propheta. Sequuntur

BIBLIA
SACRO SANCTA TESTAMENTI V. ET N.
e ſacra Hebraeorum lingua Graecorumque fontibus, conſultis ſimul orthodoxis interpretibus religioſiſſime translata in ſermonem latinum, excuſa in fol. maj. per CHRISTOPH. FROSCHOVERVM, Tiguri 1543.

Codex hic Tigurinus, quem primo ſtatim obtutu chartae nitor, typorum ſplendor, ſtylique perſpicuitas & elegantia commendant, varios habuit auctores, ſacrarum literarum morumque proborum laude inclutos. LEO enim IVDAE inter Tigurinae Eccleſiae paſtores & miniſtros non ultimus, primum operi huic admovit manus. Quo mortuo ea, quae in libris Canonicis ex textu Hebraeo reſtabant, D. THEOD. BIBLIANDER: D. PETRVS CHOLINVS vero Eccleſiaſticos ex Graeco in Latinum converterunt. Qui laudatus CHOLINVS etiam, ut & D. RVDOLPHVS GVALTHERVS N. T. translationem in ſemet ſuſceperunt, ERASMI ROTERODAMI verſionem nonnunquam ſequuti.

quuti. Quae omnia, antequam prelo ſubmittebantur, a D. CONRADO PELICANO quam diligentiſſime recognita & perlonga praefatione, omni pietatis affectu ac eruditionis cumulo repleta, in lucem ſunt edita. RICHARDVS SIMON, ut auctor eſt BOERNERVS, m) ſcribit inter alia, n) LEONEM IVDAE editionem hanc auribus Latinis admodum commodaſſe, & ne ob brevitatem obſcurus fieret, paraphraſtem interdum potius, quam interpretem ſe oſtendiſſe. Capitibus quidem librorum variae in marginibus annotationes, nulli vero verſus nullaque argumenta ſunt appoſita: quae tamen ſingulorum capitum ex calamo D. RVD. GVALTERI carmine comprehenſa & in uſum ſtudioſorum in fine univerſi operis ſunt addita. Locus ille palmarius 1. Ioa. V, 7. in ipſo horum Bibliorum textu non legitur, quanquam in margine ex editione Hiſpanica appoſitus apparet. Haec Biblia Tigurina ab HENRICO, STEPH. LOISSII, Syndici olim bene de urbe Elbingenſi meriti filio, cum inſigni & praeſtantiſſimo multorum librorum apparatu A. 1653 Bibliothecae ſunt donata.

Nec ſicco praetereunda ſunt pede

BIBLIA LATINA

ex officina ROBERTI STEPHANI typographi Regii Lutetiis, in fol. 1546 edita

& variis lectionibus juxta editionem de anno 1540, charactere tamen minori, evulgata. Huic S. Codicis exemplari acceſſerunt praeter indicem rerum & ſententiarum, quae in iis continentur, Hebraea, Chaldaea, Graeca & Latina nomina virorum, mulierum, populorum, idolorum, urbium, fluviorum, montium, coeterorumque locorum, quae in ipſis Bibliis leguntur, reſtituta cum latina interpretatione & ipſorum locorum ex Coſmographis deſcriptione. Ad haec apparent in illis tabernaculi Moſaici & templi Salomonis ſchemata, praeeunte FRANC. VATABLO, Hebraicarum literarum

m) *in Bibl. ſacra P. I. p.* 691.
n) *in diſp. crit. de var. Bibl. edit. p.* 189.

terarum Prof. Regio, ſumma arte & fide expreſſa. Sicut in ipſo rubro frugifera ROB. STEPHANI apparet oliva: ita reliquas inter imagines, illa Cherubimorum in arca foederis genua flectentium & operimentum ejus manibus allevantium figura, Exod. XXV, nec non in ornatu ſummi Sacerdotis c. XXIX, tiarae lamina, inſcriptione קדש ליהוה ornata, lectoribus ſe commendant. Quae vero omnium Bibliorum, opera ROB. STEPHANI ad annum usque 1546 Pariſiis excuſorum fuerunt fata, ut nota ſc. Theologorum Sorbonnicorum cenſoria ſint diſtincta: eadem & editioni noſtrae contigerunt, quanquam illis reſponſionem nimis acerbam, Latinis & Gallicis literis ſcriptam, A. 1552 ipſe oppoſuit ROB. STEPHANVS. Quae ſequenti tempore a STEPHANO, doctrinam CALVINI publice profeſſo, Genevae in lucem emiſſa ſunt Biblia: maxime vero illa, A. 1557 in fol. 2 Tom. excuſa, inter rariores libros haud ultimum ſibi vindicant locum. o) Quod ad illum attinet codicem, cujus h. l. mentionem facimus, is in charta auguſta excuſus, corio rubro coopertus & ex utraque parte deauratis literis majusculis S. M. notatus eſt, quibus inclutum SAM. MEIENREISII, qui ſelecto librorum apparatu relicto, praecocis eruditi exemplum A. 1604 diem obiit ſupremum, latet nomen. Praeterea fibulas hic codex habet argenteas, in quarum una literae majores E. R. inſculptae leguntur. Quid vero illae ſignificent, indicat ipſe ANDREAS, SAMVELIS MEIENREISII frater, qui communi noſtrae Bibliothecae hunc codicem Cal. Ian. 1617 conſecravit, ſequentibus verbis in fronte additis: "librum hunc Scripturae "Sacrae donavit mihi compater & amicus meus IOANNES LAMBERT, "qui eum ex Bibliotheca Clariſſimi illius Philoſophi D. IOANNIS "DEE acceperat; ille vero ex Bibliotheca Sereniſſimi Angliae Re"gis EDVARDI Sexti, cujus nomen in clauſura ſuperiori E. "R. indigitant. Actum in vigilia S. Ioannis Baptiſtae A. 1616. „

Con-

o) vid. SINCERI Nachrichten von raren Büchern, 2 St. p. 68. VOGTII *catal. libr. rar. p.* 122. SCHELHORNII *amoenit. lit. T. III. p.* 28.

Confero me ad

BIBLIA SACRA

cum Gloſſis, interlineari & ordinaria, NICOLAI LYRANI poſtilla ac moralitatibus, BVRGENSIS additionibus, & THVRINGI replicis: in quibus inſuper additae ſunt annotationes, Scripturae allegationes, Canonum concordantiae, ſanctorum Patrum aliorumque ſententiae in marginibus collocatae &c. Venct. in fol. 1588. Vol. I-VI. in charta maj. edita.

NICOLAVS de LYRA, cui REIMMANNVS inter paraphraſtas, qui in ſenſu S. S. literario eruendo cum laude verſati ſunt, non ultimum vindicat locum, p) Ebraeo ſermone & Rabinorum ſcriptis adeo peritus fuit, ut perſuaſio de ejus judaismo, quae multorum invaſit animos, inde haud dubie orta eſſe videatur. Quamvis vero Hebraicae linguae majorem quam Graecarum literarum notitiam LYRANVS haberet: pro genio tamen iſtius ſaeculi ſat praeſidiis ornamentisque inſtructus erat, ut poſtilla ſua ſeu expoſitiones in S. S. quas ANT. POSSEVINVS opus 37 annorum nominat, q) conficere poſſet, in quibus tantum eruditionis, tantum gravitatis, tantumque pietatis deprehenditur, ut non modo ob linguarum orientalium peritiam omnes ſui temporis Theologos facile ſuperet, ſed a nonnullis quoque inter veritatis numeretur teſtes. r) Hinc non mirum eſt, ipſum LVTHERVM ſcribere, s) ſe LYRANVM ideo amare & inter optimos ponere, quod ubique diligenter retinet & proſequitur hiſtoriam. Habuit quidem LYRANVS adverſarium, PAVLVM BVRGENSEM, non obeſae naris Criticum, antea Judaeum, poſt Chriſtianum, qui varios in LYRAE opere ſe detexiſſe credebat errores: ſed habuit etiam hunc contra BVRGENSEM, defenſorem MATTHIAM DORINGIVM, Ordini Minorum addictum, quorum ſcripta in Bibliis

C noſtris

p) in *catal. Bibl. Theol.* pag. 281.
q) in *apparat. ſacr.* Tom. II. fol. 487 &c.
r) vid. LILIENT. in der bibl. exeget. Biblioth. P. I. p. 9. & *Bibl. Brem.* T. II. p. 389 &c.
s) in *comm. ad Gen. II*, 9. T. I. oper. LVTH. impenſis ZEDLERI Lipſ. 1729. in fol. edit. p. 838.

noſtris exſtant una cum LYRANI libellis, in quibus contra Judaeum quendam Chriſtum, in lege promiſſum, jamjam veniſſe probat, & ad ejusdem in Evangelium Matthaei prolatas reſpondet objectiones. t) Quid vero de formulis, in laudem LYRANI excogitatis, e. g. LYRA bene lirat, ubi non delirat, ſi LYRA non liraſſet, LVTHERVS non cantaſſet, nec totus mundus deliraſſet, & quae ſunt reliqua, ſtatuendum ſit, praeter CALOVIVM u) & LOESCHERVM w) nos docent LILIENTHAL, x) STOLLE y) ut & KNOCHIVS. z) Quod ad noſtrum attinet codicem, in cujus quolibet Tomo inſignia regalis BATTOREORVM gentis impreſſa deprehenduntur cum lemmate, aureis literis hoc modo conſignato: ANDREAS. DEI. GRATIA. CARDINALIS. BATTORVS ⁘ illum Ampliſſimus & Munificentiſſimus Civitatis patriae MAGISTRATVS, vel hoc ipſo peculiarem ſuam erga ſtudioſos remque literariam propenſionem abunde teſtaturus, A. 1608. Bibliothecae publicae in ſingulare ornamentum inferri juſſit.

Sequuntur

BIBLIA LATINA

tertia cura FRANC. IVNII, Hanov. 1596. in fol. I. II. Vol. impenſis ANDREAE WECHELI haeredum, ut & eadem *quarta cura FRANC. IVNII typis WECHELIANIS Han. 1603. in fol.* in lucem emiſſa.

Primam curam in horum Bibliorum editionem jam A. 1575 intenderunt IMAN. TREMELLIVS & FRANC. IVNIVS, Profeſſores in Acad. Heidelbergenſi Celeberrimi: quippe FRIDERICO III, Elect. Palat. ſic volente, novam V. T. ad Hebraicae veritatis fontes examinatam laudabili admodum conatu moliti erant translationem, brevibus ſcholiis ad marginem editis. Quod vero ad libros V. T. apocryphos

t) vid. BVDDEI *Iſag. theol.* p. 1645.
u) in *praeloq. gener. Bibl. illuſtrat.* T. I. fol. 9.
w) in den unſchuldigen Nachrichten *de A.* 1720. p. 229.
x) l. c. P. I. p. 7 &c.
y) in der Hiſt. der Theol. Gel. c. II. §. 30. p. 58.
z) in den Nachrichten von der Bibelſ. in Braunſchweig, IX. St. p. 741 &c.

phos attinet, illi latine redditi & a FRANC. IVNIO notis quibusdam aucti, multo quam ante emendatius ſunt editi. Quibus duplex N. T. addita eſt verſio, quarum altera eſt TREMELLII ex ſermone Syro, altera vero THEOD BEZAE ex Graeco in Latinum verſa. Sicuti ergo prior editio, monente Cel. LILIENTHALIO, a) Tremellio-Juniana optimo jure dici meretur: ita omnes iſtae, quae TREMELLIO A. 1580 mortuo, cura IVNII poſtea prodierunt, multis locis correctiores & emendatiores, merito Junio-Tremellianae nominantur. Hujus farinae ſunt & illae Bibliorum editiones, quae in Bibliotheca Gymnaſii deprehenduntur & quarum priorem, charta alba diſtinctam, ex donatione b. SAM MEIENREISII, magni rei literariae Promotoris, illa poſſidet. Qui interea eruditorum judicia de interpretatione Bibliorum Tremelliana congeſta legere cupit, adeat praeter BOERNERVM b) multos alios, quorum copiam nobis fecit laudatus modo LILIENTHALIVS. c)

Haec excipiunt

BIBLIA SACRA

ſecundum veterem ſeu vulgatam translationem, ad fontes Hebraici textus emendata, & brevi ac perſpicua explicatione illuſtrata: inſertis etiam praecipuis locis communibus, in lectione ſacra obſervandis, edita ſtudio LVCAE OSIANDRI. Franc. ad Moen. 1609, in fol. I-III. Vol.

LVCAS OSIANDER, qui Illuſtr. Principi LVDOVICO, Duci Würtembergico a concionibus quondam fuit aulicis, in hoc opere edendo tantum ſe LVTHERO & BRENTIO ſanctae memoriae debere fatetur, ut absque eorum commentariis hoc iter ingredi nequaquam auſus fuiſſet. d) Hinc non tam novam adornavit verſionem, ſed veterem latinam correxit, ſuamque emendationem ad verſionem ma-

a) in der *exeget. Bibl.* Sect. I. c. I. p. 12.
b) in *Bibl. ſacra*, c. IV. p. 704 &c.
c) l. c. p. 13 &c.
d) in *praef. ad Lect.*

xime LVTHERI accommodavit. e) Quod vero ad perpetuam Bibliorum paraphrasin, ab interprete summo studio additam, illa, ut CALOVIVS auctor est, f) juxta cum enucleatione vulgatae versionis, e textu originali instituta, sensum literalem ubivis fere exprimit, & quod magis delectat, mira quadam ac nervosa brevitate. Plura de hoc opere OSIANDRI biblico, quod omni commendatione dignum, dignumque publica judicatur Bibliotheca, g) nobiscum communicant REIMMANNVS h) & PFEIFFERVS. i) Eam vero, quae in Bibliotheca Gymn. exstat, Bibliorum editionem, Vir Generosus Amplissimusque DN. IO. FERD. IVNGSCHVLTZ, tum temporis Spectabilis Ordinis Secundi Advocatus, jam vero Consul & Vice-Camerarius Civitatis Meritissimus pro nativa in rem literariam propensione Musis Elbingensibus A. 1744 animo & affectu benevolo obtulit.

His addo ea, quae, quanquam & titulus & annus, locusque impressionis illis desunt, videntur esse

BIBLIA GERMANICA

Aug. Vind. in fol. maj. edita.

In fronte quidem sacri hujus Codicis, inter artis typographicae incunabula excusi, ideoque rarissimi, ignota manus eundem esse scripsit, quem BOERNERVS k) opus KOBVRGERI Norimbergae 1483 impressum enarrat. Sed pollicem huic premere non audeo. Quodsi enim post LOESCHERVM l) etiam THEOPH. SINCERVM m) evolvimus, ex accurata editionis nostrae cum illa, cujus uterque ll. cc. mentionem facit, collatione apparet, Biblia nostra non A. 1483, sed jam antea 1477, & quidem, ut GEO. FRID. MAGNVS contendit, n) Aug. Vind. fuisse

e) vid. WALTHERI *offic. bibl.*
f) in *praef. ad Bibl. illustr.* p. 12.
g) in *Biblioth.* MEYERI *contin.* p. 30.
h) in *Bibliothecae Theol. catalogo.* p. 286.
i) in *Hermeneut. sacra* Can. 93.
k) in *Bibl. sacra*, P. II. p. 188.
l) in *Stromat.* p. 285.
m) in der neuen Samml. von lauter alten u. raren Büchern, St. I. u. VI. p. 14 &c.
n) in *dissert. de antiquis SS. versionibus Aug. Vind. excusis*, P. I.

fuiſſe impreſſa. Literae initiales cujusvis libri biblici cum figuris curioſis mirisque ligno inciſae apparent: capitum vero tam V. quam N. T. pro more iſtius ſaeculi atramento vel rubro vel caeruleo tantummodo ſunt adſcriptae. In textu ipſo nec commata, nec alia diſtinctionis ſigna, ſed puncta ſaltem exhibentur, quae non magnae ſed minores excipiunt literae. Ad haec capita quidem & paginae, duabus columnis ſeparatae, non autem verſus numerantur. Praemiſſae ſunt cuivis Teſtamento S. Hieronymi ad Paulinum praefationes, & ex inſcriptionibus ac catalogo librorum biblicorum patet, Deut: vocari das buch der andern ee: Cant. Cant. das buch des lobgeſanges: Maccab. das buch d' ſtryter: Acta Apoſt. das buch der wirckungen der zwölff botten, quae ſicuti poſt epiſtolam ad Ebraeos demum ſequuntur: ita eam ad Galatas excipit illa ad Laodicenſes ſcripta, ſub tit. Paulus zu den Laodociern. Dialectus hujus Codicis, ut b. LILIENTHAL obſervat, o) inter illum, qui in Colonienſi, & inter eum, qui in Lubecenſi ac Halberſtadienſi editionibus deprehenditur, medium occupat locum, ad puritatem & ſuavitatem linguae Germanicae cum editione Norimbergenſi maxime accedens. Id quod ut eo melius pateat, in ſequentibus loca quaedam juxta ſe poſita addenda erunt. Hunc vero Codicem rariſſimum ex Bibliotheca Permagnifici Maximeque Strenui DN. CAROLI RAMSEY, Praeconſ. quondam apud Elbingenſes Graviſſimi Bibliothecae Gymn. publicae uſibus ultro cedendum A. 1731 cura runt Haeredes RAMSEYANI.

Huic aeque rariſſimum Bibliorum Germanicorum adjungo fragmentum, quod partem V. T. primam a Geneſi ad Pſalten usque excurrentem involvit, & in extrema involucri facie inſcribitur:

der erſt tail der bibel.

Hanc Bibliorum editionem, deficientem licet, & in fronte & in calce laceram, ruderibus tamen antiquis aemulam pulcherrimamque,

o) in den Preußiſchen Zehenden, T. II. St. XI. p. 49.

eandem esse, quam LILIENTHAL, p) THEOPHILVS SINCERVS, q) CHRISTIANVS IVNCKER r) *A. 1483 Norimb. per ANT. KOBVRGENSEM* in lucem prodiisse affirmant, primo statim obtutu apparet. In hac Bibliorum versione, cujus NIC. SYBERVS, Canonicus Isenacensis, auctor esse creditur, s) variae abbreviationes, nullae versuum distinctiones, commata itidem nulla, sed puncta saltem deprehenduntur. Ad haec literae initiales vario colore distinctae, vel etiam multo auro obductae sunt adscriptae. In imaginibus autem ligno incisis, nec sparsim additis, tantum erroris, tantum simplicitatis, tantumque fictionis lasciviens sculptoris ingenium adjecit, ut illae, vario insuper colore ornatae, vel Catonis movere possent vultum. Quis enim Evae creationem ex Adami utero non rideret? Quis serpenti in paradiso, muro lateritio circumducto, protoplastos seducenti faciem adderet muliebrem, & quidem comantem? Quis Abrahamum, filium e regione molae alatae immolaturum, acinace instructum fuisse somniaret? Quis sardapilarios Jacobi Patriarchae viros, vestitu monachali indutos fuisse divinaret? Quis Mosen mortuum, eundemque cornutum ab angelis, bipalio instructis, sepultum fuisse crederet? & quae sunt reliqua, ad quorum adspectum exclamare licet: risum teneatis amici! Hanc Bibliorum Norimbergensium, quibus integris sartisque VFFENBACHIVS t) pretium 50 thalerorum adjudicat, partem Viro Honestissimo IO. HENR. DEWITZ, Civi & Pharmacopolae, jam membro Communitatis Spectatissimo ab A. 1741 nostra debet Bibliotheca.

Tertius isque longe rarissimus & pauciſſimis visus, ut eum VOGTIVS nominat, u) Bibliorum Germanicorum Codex in Bibliotheca publica est ille, qui

BI-

p) l. c. T. II. p. 60. III.
q) in der neuen Sammlung alter und rarer Bücher, I. St. p. 19. VII.
r) in der hist. Nachr. von der öffentl. Bibliothek des Gymn. zu Eisenach, p. 53. n. 80.
s) vid. *Reimmanni* Einleitung in die *Hist. lit.* T. III. Sect. I. p. 11.
t) in *Bibl.* T. I. p. 2.
u) in *catal. libror. rar.* p. 109.

BIBLIA dudeſch dat erſte deell
& ante Salomonis proverbia, quae dat boeck der Gyſproke dicuntur,
BIBLIA dudeſch dat ander deell

audit, ac, uti ex titulo & imagine S. HIERONYMI fol. II. docemur, A. 1520 typis excudi incoeptus, A. vero 1522 finitus eſt, teſtibus his, quae inter alia in fine leguntur, verbis: Gedrucket und fulẽdet in der ſtad Halberſtad Na der gebort Chriſti vefteyn hundert unde twe unde twyntich Jar vp den VIII. dach Julij. Haec Bibliorum editio multum nitoris, multumque commendationis prae ſe fert, & typorum elegantia, in quibus literae initiales prae caeteris eminent, una cum additis commatibus lectionem mirum quantum facilitat. IO. HENR. a SEELEN, w) LILIENTHAL, x) & ex illis SALTHENIVS y) ſcribunt, Bibliorum horum auctorem, qui ex Latina vulgata in idioma inferioris Saxoniae illa transtulit, z) ſibi non religioni duxiſſe, nonnulla addere, contrahere, mutare, imo plura omittere: quamvis multa etiam habeant, quae in illuſtranda & explicanda verſione LVTHERI aliorumque plurimum adjuvant. Figurae ſatis ridiculae & abſurdae, absque omni tamen colore, hinc inde additae, ſunt eaedem, quae in priori Norimbergenſi coloribus obductae conſpiciuntur. Hinc LILIENTHALIO, a) qui easdem & editioni Colonienſi vindicat, merito aſſentimur, affirmanti, harum figurarum tabulas, ligno confectas, vel a poſſeſſore primo aliis mutuo datas, vel emtionis lege illis traditas fuiſſe. Rariſſimum hunc Bibliorum Codicem Vir Plur. Reverendus & multifaria eruditione ſua longe Celeberrimus b. M. MICH. LILIENTHAL, V. D. apud Regiomontanos Miniſter, Acad. Imperialis, quae Petroburgi floret, Prof Honor. & Societatis Regiae ſcientiarum Berolin. quondam Sodalis ſuum erga Bibliothecam & Muſas Elbingenſes favorem & affectum teſtaturus, A. 1736 benevole transmiſit. Quo

w) in *ſelectis literar.* Specim. XI. p. 398.
x) in den Preußiſchen Zehenden, T. II. p. 74 &c.
y) in *catal. libr. rariorum & rariſſim* p. 205.
z) vid. Nachrichten von einer Hälliſchen Bibliothek, T. VII. St. 41. n. 963. p. 388.
a) l. c. p. 46.

Quo vero differentia dialecti in Bibliis noſtris, Aug. Vind. excuſis, quibus Norimbergenſia maxime accedunt, & Halberſtadienſibus ut & b LVTHERI verſione obvii eo magis pateat, juvabit ſequentia illuſtrationis gratia addere.

Bibl. Aug.	*Bibl. Halb.*	*Bibl. Luth.*
Gen. VIII, 21.		
Wañ der ſyn vnnd der gedanck menſchlichs hertzen die ſind geneiget zu dem übel von der kindtheyt.	Wente de ſynne vnd gedancke dēr lůde ſint bereit in dat quade van örer iogent.	Denn das Tichten des menſchlichen Herzens iſt böſe von Jugend auf.
Gen. XXX, 14.		
Vñ rachel ſprach. Gib mir ein teyl von dē mandragoren deyns ſuns.	Vnde do ſede Rachel, gyf my de alrunen dynes ſones.	Da ſprach Rahel zu Lea: Gib mir der Dudaim deines Sohns ein Theil.
Exod. XXXIV, 29.		
vñ wißte nit das ſin Antlutz gehornet von wegen d' geſelſchafft des wort Gotz.	und he en wöſte nicht dat ſyn antlate hadde hörne van der geſelſchop der rede godes.	und wuſte nicht, daß die Haut ſeines Angeſichtes glänzete, davon, daß er mit ihm geredet hatte.
Num. XI, 31.		
er begreyffe die kramathuŏgel enhalb des mörs.	und nā ůuer mer de Raphoner und brachte ſe	und ließ Wachteln kommen vom Meer.
II. Pſ. 1.		
wArumb griſſgrameten die heyden ꝛc.	wAruñe grimmeden de lůde ꝛc.	Warum toben die Heyden ꝛc.
CXI. Pſ. 9. 10.		
Sin nam iſt heylig vnd erſchrockenlich — ſin lob das belybet in den welten der welt.	Hyllich vñ gruwelik ys ſin name — vñ ſyn loff blyfft vā ewicheit to ewicheit.	Heilig und hehr iſt ſein Name — des Lob bleibet ewiglich.
Ezech. XIX, 9.		
vnd legten yn in Ketten.	vñ ſanden ŏn yn eyn vogelbur.	und ſtieſſen ihn gebunden in ein Gatter.
1 Jo. V, 7. 8.		
Wañ dry ſind die da gebēt gezügknüſz vff d' erde der geyſt. das waßer. vnd das plut. vnd diſe dry ſind eins. Vñ dry ſind die da gebent gezügknuſz im himel Der vatter. das wort. vñ der heylig geyſt. vnnd diſe dry ſind eins.	Wente dre ſynt de dar gheven tůcheniſſe yn deme hymmele, de vader. dath wort, vnde de hylligħe gheyſt, vnd düſſe dre ſynt eyn. Vnd dre ſynt de dar gheven tůchenyſſe vp der erden, de geyſt dath water, vnd dath bloed vnd düſſe dre ſynt eyn.	Denn drey ſind, die da zeugen im Himmel: der Vater, das Wort und der heilige Geiſt; und dieſe drey ſind Eins. Und drey ſind, die da zeugen auf Erden: der Geiſt, und das Waſſer und das Blut; und die drey ſind beyſammen.

Hy-

Hypomnemata ſupellectiſis librariae, quam Bibliotheca Gymnaſii Elbingenſis includit, nobis ulterius commendant *BIBLIA* illa *GERMANICA* gloſſata, quae plerumque audiunt

VINARIENSIA,

ab urbe ac ſede Principum Saxonicorum, qui auſpicem eorum ERNESTVM PIVM, lineae, quae hodie floret, Gothanae conditorem feliciſſimum, proxima attingebant cognatione. Vnde etiam *ERNESTINA*, vel a loco, ubi typis evulgata ſunt, *NORIMBERGENSIA* appellantur. Non addam, haec Biblia nitidiſſima & imaginibus Ducum Saxoniae, & Prophetarum ac Evangeliſtarum ut & LVTHERI, aliarumque rerum, ad explicanda divina oracula ſpectantium, exornata primum anno 1640, poſtea 1686 ac 1700 lucem adſpexiſſe, ſed illud ſaltem indicare animus eſt, editionem noſtram elegantiſſimam *1692 Nor. in fol. maj.* prodiiſſe, & a Viro Generoſo, Ampliſſ. Conſultiſſimoque Domino ALEXANDRO VNTERBERGIO, Conſule ac Scholarcha Gymn. Graviſſimo ex ingenti in Muſas propenſione hoc anno Bibliothecae dono datam eſſe. Quod vaſtiſſimis operibus evenire ſolet omnibus, ut in illis ex diverſitate auctorum diverſa quoque oriri ſoleat locorum & paraphraſeos interpretatio: idem etiam de his Bibliis Vinarienſibus dici poteſt, in quibus auctores, ut EYRINGIVS b) ſcribit, juſſu ERNESTI explicationem ad captum vulgi, & quidem habita potius verſionis LVTHERI, quam fontium ratione accommodare oportuit. Hinc illa teſte LILIENTHALIO c) nullo non tempore pro Bibliis gentilitiis ſunt habita. Imo BVDDEVS d) non modo palmarios horum Bibliorum commentatores, vel ſi mavis correctores, e. g. IO. GERHARDVM, IO. MAIOREM, HIMMELIVM, DILLHERVM, GLASSIVM, ſed & regulas iſtas, quibus in revidendo

b) in *vita ERNESTI PII.* c. XVI.
c) in der bibliſch. exeget. Bibliothek. Sect. I. c. I. p. 19.
d) in *Iſagoge hiſtor. theol.* L. II. c. VIII. p. m. 1559.

ac emendando hocce opere uti debebant auctores, nobiscum communicat. Pari ratione quos illa calumniatores, quosque panegyristas habuerunt, idem exponit BVDDEVS. e) Interim nullus dubito, quin, dum editionem nostram, corio suillo nitide compactam & orichalceis clasuris ac figuris praestantissimis crustatam in conspectu habeo, magni cujusdam Polyhistoris sententiae, quam his de Bibliis tulit, subscribam, dicentis: Die Buchbinder haben insgemein ihr Meisterstück daran verfertiget. Darum man sie vielfältig in kostbaren Bänden gebunden findet. Jedoch hat der hohe Preiß dieselbe der Armuth unbrauchbar: das grosse Format aber den meisten Lesern zum Aufschlagen beschwerlich gemacht. Haec LILIENTHAL. f)

Progredior ad *BIBLIA BELGICA*, quorum titulus est:

DE GANTSCHE HEYLIGE SCHRIFTURE DES OUDEN EN DES NIEUWEN TESTAMENTS.

Lugd. Bat. in fol. 1663 edita.

Haec Biblia, vulgo **Die grosse Staaten Bibel** dicta, & auctoritate Illustr. ac Praepot. DD. Ordinum Generalium ad decretum Synodi Dordracenae de A. 1618 & 1619 ex idiomate originali in linguam Belgicam translata, primum jam A. 1637 lucem adspexisse, praefatio codici nostro praemissa nos docet. g) Quod vero de editione Bibliorum Belgicorum prima dici potest, eam textui Originali non mediocriter respondere & sensum plerisque in locis perspicue, fideliter ac solide exhibere: illud etiam de nostra, secunda scilicet, quam sub oculis habemus, quaeque charactere non Gothico, sed Romano impressa est, gloriari possumus. Interim alios praeter & eruditionis & pietatis laude dignissimos Viros

---

e) l. c. p. 1560.
f) l. c. p. 19. add. Hertels gel. Geschichte von der heil. Bibel. p. 107.
g) vid. *le LONG Bibl. sacra.* P. II. c. IX. p. 280 &c. *ex edit. BOERN.*

Viros BOGERMANNVM praeſertim in V. T. & WALAEVM in N. T. conficiendum maximam contuliſſe operam, apud eosdem legere eſt, qui Bibliorum Belgicorum hiſtoriam pluribus expoſuerunt h) Quanquam vero facile dijudicatu eſt, annotationes in illis obvias & Remonſtrantibus omni occaſione oppoſitas, SIMONI EPISCOPO ejusque ſociis minime arriſiſſe: attamen negari non poteſt, multum lucis, multumque utilitatis ex hac editione veritati chriſtianae accendi, & interpretem in explicandis oraculis divinis illa admodum uti poſſe i) Quo autem dialectus horum Bibliorum & ex his pateat, juvat ſpeciminis loco dictum illud ex Gen. III, 15 & ultima verba commatis 16 addere, quae ita leguntur: *Ende ick ſal vyantſchap ſetten tuſſchen u, ende tuſſchen deſe vrouwe, ende tuſſchen uwen zade, ende tuſſchen haren zade: dat ſelve ſal u den kop vermorſelen, ende ghy ſult het de verſenen vermorſelen - - - ende hy ſal over u heerſchappije hebben.* Nec abs re fore judico, indicare, aves illas, quas, ut ex prioribus conſtat paginis, Biblia Aug. Vind. cuſa Kramathvögel, Halberſtadienſia Raphöner, & LVTHERVS Wachteln vocant, in his Belgicis appellari *Quackelen.* Sic enim Num. XI, 31 legimus: *ende raepte quackelen van der zee.* Sciſcitanti tandem: cui haec Biblia Lugdunenſia noſtra debeat Bibliotheca? reſpondeo, eadem ex auctione librorum Viri, dum in vivis eſſet, Plurimum Reverendi Doctiſſimique Domini EPHRAIMI LIEBMANNI, Paſtoris ad III Regum & poſtea ad S. Mariae Fideliſſimi A. 1747 benigne eſſe oblata.

Nec ſicco praeterire licet pede *GERMANICA BIBLIA,* quae exſtant

duobus Tom. Caſſellis in fol. 1601 per WILH. WESSELIVM edita.

h) vid. Benthems Holländ. Kirchen- u. Schulen-Staat. c. 7. Lilienthals bibl. exeget. Bibliothek. Sec. I. c. I. p. 26. 27. Nachrichten von einer Hälliſchen Bibl. St. 25. p. 1. i) conf. *A. H. FRANCKII monita paſtoralia.* p. 60.

Haec reformatae religionis ſocii ad ultimum, quod tempore LVTHERI A. 1545 prodiit exemplar, typis excudenda curaverunt. Hinc etiam LVTHERI praefatio in S. S. praemiſſa legitur, quam Chronologia & Genealogia ſacra, index hiſtoriarum biblicus, loci communes theologici, peregrinorum nominum interpres, tandemque Topographia additis mappis geographicis ſequuntur. Quibus omnibus GREGOR. SCHÖNFELDT, D. Th. & Superint. Caſſ. Graviſſimus prooemium, MAVRITIO Landgravio Haſſiae dicatum praemiſit, vel ob egregiam Principis laudem alia inter notatu digniſſimum. k) Sic enim in eodem: Eu. Fürſtl. Gnaden, inquit, haben ſich von Jugend auf gewöhnet, die heil. Schrift ſelbſt zu leſen, davon zu reden, zu ſchreiben, und nun durch dieſe Gewonheit ſolche geübte Sinnen in dem Wort göttl. Wahrheit bekommen, daß Sie von der ſeligmachenden Religion auch mit den gelehrteſten Theologen mit Beſtand zu conferiren und zu reden mächtig ſeyn. Immaſſen Sie denn auch täglich morgens und abends ihren Kammerdienern und Aufwärteren ein Capitel nach dem andern aus der Bibel vorleſen und ausführlich erklären ꝛc. O beatos MAVRITII manes, qui, quae DEVS a Rege populi Iſraelitici exegit, l) & ſibi praecepta eſſe credidere! O Principem vere chriſtianum, qui ſuo docet exemplo, quales Patriae Patres pietati dediti ſint, & quales reliqui eſſe debeant! O ſtudium Bibliorum utiliſſimum, dignum cive chriſtiano, dignum Principe omni! Sed revertor ad Biblia Caſſelliana, de quibus hoc unicum ſaltem addo, dictum ſcil. illud de tribus in coelis teſtibus 1 Io. V, 7. in textu omiſſum eſſe. Vnde vero loci hujus depravatio orta ſit, fuſius ex D. KETTNERI hiſtoria exponit KNOCHIVS. m)

Sequun-

k) add. IVNCKERI hiſtor. Nachricht von der öffentl. Bibl. des Gymn. zu Eiſenach.
l) Deut. XVII, 18. 19.
m) in der Braunſchw. Bibelſammlung. T. I. P. V. p. 328 &c.

Sequuntur, quae priori jam loco nobis ponenda fuerant,

BIBLIA SACRA

quae, praeter antiquae latinae verſionis neceſſariam emendationem & difficiliorum locorum ſuccinctam explicationem, multas inſuper utiliſſimas obſervationes &c. continent per ANDREAM OSIANDRVM, in fol. typis MATTH. BECKERI. Franc. 1611. edita.

Hanc quartam Bibliorum editionem, cum quoad notas chronologicas, tum quoad coeteras gloſſas prioribus & emendatiorem & multis modis locupletiorem ANDREAS OSIANDER, Th. D. & Academiae Tubingenſis Cancellarius ac Eccleſiae Praepoſitus publici fecit juris. Locorum explicationibus, ut plurimum ex LVCAE OSIANDRI & ANDREAE, Parentis commentariis biblicis depromptis, multas inſuper utiliſſimasque adjecit obſervationes, ex Patrum orthodoxorum & praeſtantiſſimorum Theologorum lucubrationibus, nec non ex Form. Conc. excerptas. Sicuti vero piae recordationis Vir, OSIANDER, hanc editionem ita adornavit, ut illam ad praeſentem Eccleſiae ſtatum, potiſſimum vero ad utiliſſimum diſputationum theologicarum exercitium omni fide accommodaret: ita & gemino indice, priori ad textum biblicum, poſteriori ad ejusdem gloſſam concinnato, eandem locupletavit. Haec Biblia ANDR. OSIANDRI, de quibus BOSIVS, n) LILIENTHAL o) aliique legi merentur, ex dono MATTHIAE MOHRI, Gymn. Elb. in Claſſe IV Collegae quondam Fideliſſimi ab A. 1667 publica poſſidet Bibliotheca.

Praeter *ELIAE HVTTERI N. T. POLYGL.* cujus jam antea mentionem fecimus, exſtat porro in Bibliotheca publica

n) in *introd. in not. Script. eccleſ.* c. VI.
o) l. c. Sect. I. c. I. p. 16. 17.

NOVVM TESTAMENTVM
Graeco-Latinum DES. ERASMI, Basileae typis IO. FROBENII 1522 in fol. editum.

Hanc N. T. editionem ad Graecam veritatem & vetustissimorum codicum Latinorum fidem opera studioque DES ERASMI ROTEROD. jam tertio accurate recognitam prodiisse, & in rubro & in fine libri legimus. Praemissa est Papae LEONIS X. ad ERASMVM ROTER. d. 10. Sept. 1518 sub annullo piscatoris Romae data epistola, in qua ejusdem lucubrationes multis prosequitur encomiis. Hanc excipiunt ad LEONEM X. Pontificem ab ERASMO, Theologorum, ut semet ipsum vocat, infimo, jam 1516 Cal Febr. scriptae literae: porro ejusdem ad lectorem pium paraclesis, ut & apologia, itemque argumentorum contra morosos quosdam ac indoctos capita: tandem soloeciſmi per interpretem admissi: loca obscura, nec non manifeste depravata, ex infinitis pauca, & quae sunt reliqua. Non minus pro more istius seculi magnum huic codici hinc inde additae figurae conciliant ornamentum, in quibus multum salis, multumque deprehenditur leporis: quippe ignorantiam, superbiam, & stultitiam nonnullorum, imo fallaciam vitae aulicae more satyrico ob oculos ponunt. Nec silentii peplo involvendum esse judico, & in medio & calce Testamenti hujus FROBENII signum impressum esse, exhibens duas manus, baculum, duobus serpentibus circumdatum, cui columba insidet, tenentes. Sicuti & in initio Matthaei, aliisque locis scutum apparet, in quo sequentia leguntur verba: Io Frob. typis excudebat, addito hoc lemmate Graeco, a Plinio forsan petito; p) μωμήσεταί τις θάσσον, ἢ μιμήσεται. Quod ad ipsum N. T. attinet textum, observandum utique est, in hac ERASMI editione totum comma, Marc. XI, 26 & in Graeca & Latina lingua deesse, quo de defectu in aliis etiam codicibus, ut

&

p) ex *Hist.* L. 35. c. 9. add. *GESNERI chrestomatia Plin.* L. CXVIII. n. 24. p. 969.

& in ipſa verſione LVTHERI ante A. 1662 legi merentur KRAFT q) ac WOLFIVS, r) qui incuria ſcribarum hoc factum fuiſſe, credit. Nec minus annotandum eſſe cenſeo, in eadem noſtra ERASMI editione primum repertam eſſe pericopen, de triplici Patris, Filii & Sp. Sancti teſtimonio, 1 Io V, 7 obviam, quam ipſe, ne, ut MILLIVS loquitur, s) cuipiam calumniandi foret anſa, ex codice Britannico t) huic repoſuit. u) Eum, quem recenſemus, N. T. codicem antiquum a Viro Doctiſſimo IO ALBERTO CASSENIO, Regiomontano, poſtea Iuris Practico apud Elbingenſes Solertiſſimo A. 1710 Bibliothecae dono oblatum eſſe, docet liberalitatis Praeco, ſ. index Patronorum, qui librariam Gymnaſii ſupellectilem liberalitate ſua ditarunt.

Sed ulterius commemorandum nobis venit

NOVVM TESTAMENTVM TRILINGVE
auct. IMMAN. TREMELLIO 1569 in fol. editum
ſtanno HENR. STEPHANI.

Haec egregia N. T. editio, quam praeter alia & literarum nitor & charta regalis commendant, tribus conſtat linguis, Graeca ſcil. Syriaca, (aſt Hebraeis typis cum punctis vocalibus deſcripta,) & duplici verſione Latina, quarum alteram ex Graeco THEOD BEZA, alteram vero ex Syriaco IMMAN. TREMELLIVS confecerunt. Praemiſit ipſe TREMELLIVS in Academia Heidelbergenſi operi huic perlongam dedicationem, Sereniſſimae Anglorum Reginae ELISABETHAE adſcriptam. Cum vero in antiquiſſimis Syrorum libris praeter hiſtoriam, quam Evangeliſta de adulterae cujusdam accuſatione refert, quatuor ex ſeptem epiſtolis canonicis, imo & Apocalypſis Ioannis deſint: hinc etiam in hoc N. T. codice in interpretatione Syriaca eadem deſiderantur omnia, ſc. Io. VIII, 1 - 11. epiſt.

---

q) im zweyfachen Jubel-Gedächtniß. p. 77.
r) in *curis Philolog. ad h. l.* p. 509. s) in *proleg. in N. T. Graec.* p. 114.
t) conf. *PFAFFIVS in diſſ. de genuinis librorum N. T. lection.* p. 100.
u) vid. *KNOCH* Bibelſamml. zu Braunſchw. I. T. V. P. p. 323 &c. & *REIMANNI catal. Bibl.* p. 201.

epiſt. Petri IIda Io. IIda & IIItia Iudae, ut & Apocal. imo etiam locus ille praeſtantiſſimus 1 Io. V, 7. Quae GENEBRARDVS quidam de hoc N. T. Syriaco ſcripſit, videre eſt in IAC. le LONG Bibliotheca ſacra. w) Subjunxit praeterea N. T. TREMELLIVS Grammaticam Chaldaeam & Syriacam, D. MATTHAEO PARKERO, Archiepiſcopo Cantuarienſi addictam. Hoc N. T. in Bibliotheca MEIENREISIANA, publicis Gymn. Elb. uſibus A. 1714. 4. Sept. dicata, haud ultimum occupat locum.

Tandem me converto ad

NOVVM TESTAMENTVM GRAECO-LATINVM in fol. Genevae 1582 typis HENR. STEPHANI editum.

Graeco Novi hujus Teſtamenti contextui duae reſpondent interpretationes; una, vetus: altera THEOD. BEZAE, cujus itidem annotationes, in hac tertia editione ſummo ſtudio recognitae & acceſſione non parva locupletatae apparent. Quippe Cel. BEZA, ut lectorem in praefatione docet, hos novi foederis libros non modo cum variis ſeptendecim Graecorum codicum, a ROB. STEPHANO citatorum, lectionibus rurſum, ſed etiam cum Syriaca interpretatione contulit, multaque alia partim ab amicis admonitus, partim ſuo emendavit judicio. Ad haec ejusdem BEZAE ad SEB. CASTELLIONEM addita eſt reſponſio, in qua multae N. T. annotationes accuratiſſime ſunt excuſſae. Quod vero MILLIVS circa hanc editionem in proleg. ad N. T. Graecum x) monet, videre eſt apud IAC. le LONG. y) Eum, quem in conſpectu habemus, N. T. codicem Graeco Latinum, locupletiſſimum Evangelicae doctrinae θαμιεῖον, Bibliothecae quidem patriae A. 1602 obtulit GEO. FREILINGIVS, civis Elbingenſis, ſed exterior involucri membranei facies inſimul nos docet, quis prior illius fuerit poſſeſſor. Haec enim literis majusculis in eodem expreſſa legimus verba: THOMAE ROTO dono dedit IACOBVS SVCCOVIVS liberali pectore anno Domini 1586.

Con-

w) c. I. p. 53 &c. ex edit. *BOERN.* x) p. 131. y) in *Bibl. ſacra.* P. I. p. 480.

Conſideraturo ulterius Bibliorum, quae in publica Gymnaſii Elbingenſis Bibliotheca exſtant, editiones, occurrunt *in 4to maj.*

SEBASTIANI MÜNSTERI BIBLIA EBRAICA,

ſub hoc titulo:

ארבעה ועשרים
נדפסו במצות יורונימוס פרוביניוס וניקלאוס עיפישקופי יצו
פה באזיליה העיר הגדולה בשנת רצו לפק

i. e.

Viginti quatuor z) libri *impreſſi ſunt juſſu HIERONYMI FROBENII & NICOLAI EPISCOPII, (cuſtodiat eos ipſorum rupes & redemtor* a) *) hic Baſileae in magna civitate anno juxta computum minorem 246,* ſeu chriſtianorum aere 1536. Quibus praeter alia & in fine adjecta ſunt ſequentia:

הדפס על ידי זבשטיאנוש מונשטרוש עם יגיעה גדולה

i. e.

Impreſſus eſt codex *per manus SEBASTIANI MÜNSTERI cum magno ſtudio.*

MVENSTERVS modo laudatus Germaniae, quae ipſi & vitam & ſedem dedit, magno ſemper fuit honori: quippe in Reformatae eccleſiae dogmatibus & linguarum orientalium, ut & Matheſeos peritia, duce CONRADO PELICANO adeo profecit, ut ipſi tandem Profeſſori

E Theo-

z) Propheta vero Daniele, quem Judaei inter alia & ob egregium de LXX hebdomadibus vaticinium, c. IX, 24-27. libr. Canonicorum numero exemtum, Hagiographis annumerant, addito, viginti leguntur quinque. conf. Knochs Braunſchw. Bibelſammlung, *p.* 681 &c. & *BVDDEI H. E. V. T. Tom. II.* p. 827-835.

a) vid. *IO. BVXTORFIVS de abbreviaturis hebraicis.* p. 99. 100.

Theologiae ac Hebraei ſermonis in Academia, quae Baſileae floret, Ordinario, anno 1552 lue epidemica extincto, egregium hoc poneretur epitaphium: Germanorum Esdras hic Straboque conditur b) Nec immerito. MVENSTERVS enim primus ex Germanis fuit, qui Biblia Hebraica, addita nova inſuper latina verſione, a. 1525 aeque ac 1534 in fol. 2 Vol. c) & tandem noſtra 1536 in 4to absque verſione publici fecit juris, eo ſtudio, eoque labore, ut & Judaeis ipſis nullo non tempore in deliciis fuerint. Tantus enim ille in adornandis his Bibliis Rabinorum fuit aeſtimator & ſectator, ut cum in literis ſcribendis tum in ſtylo latino totus judaizare videretur: quippe ה & ח, ב & כ, ר & ך more antiquorum Judaeorum omni fere diſtinctione deſtituuntur; hic autem, teſte PFEIFFERO d) valde horridus & auribus cultioris latinitatis ſermoni adſuetis plane ingratus, licet fonti ad amuſſim accommodatus ſit. Praeterea in codice noſtro triplex a MVENSTERO adjecta eſt appendix, quarum prima continet initia lectionum judaicarum, ex Moſe & Prophetis petitarum, & ſub nomine פָּרָשָׁה ac הַפְטָרָה ſingulis ſabbathis in Synagogis praelegendarum: altera nonnullas dictiones, quae in aliis Bibliorum exemplaribus diverſam inveniuntur habere lectionem: tertia autem errata illa, quae vel editoris viſum fugerunt, vel per praeli moderatores typorum transpoſitione irrepſerunt. Ad haec obſervandum eſt, Biblia noſtra, in initio & in calce ſigno Frobeniano adornata, a Magnifico Maximeque Strenuo Domino ALBERTO ISINDORFFIO, Prae-Conſule & Scholarcha quondam Graviſſimo Bibliothecae dono data eſſe, cujus & inſignia, hircus ſcilicet ſaliens, manu gladio armata ſuperne addita, in anteriori codicis

b) vid. *FREHERI theatr. vir. erud. clar.* p. 1453. & *IOECHERI* Gelehrten *Lexic. ad voc. SEB. MVNST.*

c) add. *KNOCH l. c. p.* 53. & *REIMANNI catal. Bibl. theol. p.* 194.

d) in *Crit. ſacra*, p. 331. §. 10.

codicis facie deaurata, una cum poſſeſſoris nomine impreſſa videntur.

Haec alia excipiunt

BIBLIA HEBRAICA, PLANTINI ſcilicet *Antw. in quarto* edita & in donatione MEIENREISIANA obvia, quorum titulus ſic incipit:

חמשה חומשי תורה

in verſione autem latina totus ſe ita habet: *Quinque quini* libri *legis impreſſi cum multo ſtudio per manus CHRISTOPHORI PLANTINI juſſu Domini BOMBERGI (benedicat ei petra & redemtor ejus) anno 326 juxta computum minorem*, i. e. 1566, *in urbe percelebri Anverſa.*

PLANTINVS, typotheta Antwerpienſis edendis operibus ſuis tantam inſeruit diligentiam, tantaque impendia, ut illa auctori & laudes & paupertatem conciliaverint. Aere enim alieno admodum oneratus vitam cum morte commutaſſe dicitur, relictis egregiis operibus. Quae inter & noſtra non ultimum habent locum Biblia, quorum editio a WOLFFIO e) le LONG f) aliisque elegans & ſatis correcta appellatur. Uſus enim erat PLANTINVS in opere hoc emittendo typis Bombergianis, quorum puritas, ſplendor & elegantia omnibus ſe adeo commendant, ut HOTTINGERI de eodem judicium g) ex REIMANNI calamo h) repetere placeat, ſcribentis, illos non recte facere, qui BOMBERGI, PLANTINI, STEPHANI elegantiſſima exemplaria quotidiana terunt, brevique conterunt manu; Κειμήλια haec eſſe, quae, ut diu Bibliothe-

 cam

e) in *Biblioth. hebraea.* P. II. p. 371.

f) in *Bibl. ſacra.* p. 108.

g) in *Bibl. quadrip.* L. II. c. I. p. 127.

h) in *Catal. Bibl. theol.* p. 234.

cam ornent, parce contrectari debeant. Ad haec, quae Maſoretarum in numerandis Bibliorum capitibus, verſibus ac literis cura fuerit, quodque ſtudium, noſter teſtatur codex. In Geneſi enim 1534, in Exodo 1209, in Lev. 859, in Num. 1288, tandemque in Deut. 1055, in ſumma 5945 verſus eſſe; i) hos vero inter in univerſo Pentateucho locum Lev. VIII, 8. & ex 600045 literis, quibus omnes abſolvuntur libri Moſis, literam ו in vocabulo עַל־גַּחוֹן k) medium occupare locum, in calce Deuteronomii annotatur. His PLANTINI Bibliis Hebraicis alium addo codicem, hac ſub inſcriptione:

חמישה חומשי תורה
עם חמש מגלות וההפטרות

i. e.

Quinque quini libri *legis cum quinque Megilloth & Haphtharis,*

qui lingua Judaeo-Germanica *in 4to 1540 Conſtantiae* prodierunt. Dum enim in Synagoga Judaeorum moris eſt, ut quovis ſabbatho Biblia legantur, Paraſchis ſeu penſis legalibus appendicis loco ſubjungere quoque ſolent quinque ex Hagiographis deſumtos libros & lectiones Propheticas, e quibus hae nominantur הפטרות, dictae quaſi miſſae, quod iis lectis populus dimittitur; illi vero חמש מגלות feſtivales audiunt libelli. Siquidem Ebraei Canticum Canticorum in feſto Paſchatos, Ruth feſt. Pentecoſtes, Threnos d. IX. Jul. quo utrumque templum Hieroſolymitanum flammis igneque conſumtum eſt, Eccleſiaſten feſto Tabernaculorum, & denique

---

i) Sic etiam Biblia Bombergiana habent, *teſte* KNOCHIO l. c. p. 93. quanquam PFEIFFERVS *in Crit. ſacra*, p. 181. in Deut. tantum 955, & in toto Pentat. 5845 numerat verſus.

k) Lev. XI, 42.

denique volumen Eſtherae feſt. Purim legere conſueverunt. l) Hic Bibliorum nitidiſſimorum codex, quem a M. MICHAELE, IOANNIS PICARDI filio, SAMVEL MEIENREIS Altorfii 1593 emptionis jure ſibi comparavit, in ſupellectili librorum MEIENREISIANA, Bibliothecae Gymnaſii a. 1714 inſerta, deprehenditur.

His in medium prolatis ad opus progredior rariſſimum, & ut LEICHIVS vere judicat, m) magnum ob ſingularem praeſtantiam Bibliothecarum ornamentum, *NOVVM* ſcilicet *TESTAMENTVM SYRIACVM*, quod in rubro ita inſcribitur:

LIBER SACRO SANCTI EVANGELII DE IESV CHRISTO DOMINO ET DEO NOSTRO, curante IO. ALBERTO WIDMANSTADIO. Viennae 1555 in 4to min.

Non opinor, quemquam codicis hujus raritatem in dubium vocaturum eſſe: quippe primum eſt Teſtamentum Novum, imo liber primus, characteribus & lingua Syra in Europa praelo commiſſus. n) Ad haec dum ex mille codicis hujus exemplaribus FERDINANDVS Imperator, cujus juſſu & liberalitate ille lucem vidit, 500 ad ſe recepit, duobus vero Patriarchis Antiocheno & Maronitae 300 deſtinavit, MARDENVMque cum reliquis 200 dimiſit, o) fieri aliter non potuit, quam ut liber hic in Germania raro deprehenderetur. Quae inde ad illos, qui Teſtamento huic edendo curas, vigilias, laboresque ſuos non denegarunt, redundet gloria,

 facile

---

l) conf. *BVXTORF. Syn.* c. 29. p. 555. *PFEIFF. Crit. Sacr. c. I. Sect. I. §.* 4. 5. 18.

m) in tr. *de orig. & increm. Typogr. Lipſ.* p. 50. add. *VOGTII catal. libror. rarior.* p. 671.

n) vid. *KNOCHII* Bibelſammlung, P. I. p. 576. 578.

o) conf. *le LONG Bibl. ſacra*, P. I. p. 197.

facile eſt conjecturatu. Principem vero hos inter tenet locum IO. ALB. WIDMANSTADIVS, Senator regius & provinciarum Auſtriae orientalis Cancellarius, linguae Syriacae peritiſſimus p) Hic enim adjuvante MOSE MARDONE, IGNATII Patriarchae Antiochenſis ad PAVLVM III & IVLIVM III Papas Legato, in officina MICHAELIS CYMBERMANNI codicem noſtrum excudendum iisdem commiſit typis & characteribus, quos CASP. CRAPHTVS, Elvangenſis Suevus ex Norici ferri acie ſculpſit. Quae vero in hoc N. T. codice deprehenduntur, & quo ordine quatuor illius partes, quarum cuilibet praefatio latina eſt praemiſſa, apparent, indicat pagina rubrum excipiens quarta. Poſt dedicationem enim WIDMANSTADII ad FERDINANDVM Imperatorem deſignatum, in qua de ſignis chriſtianae religionis illuſtribus loquitur, quatuor Evangeliorum libros Syro videmus ſermone. Hos excipit ea ad MAXIMILIANVM, Bohemorum Regem, quatuordecim Pauli epiſtolis dicata. Quas hiſtoriae Apoſtolicae a Luca ſcriptae liber ſequitur unus, cui dedicatio ad FERDINANDVM FERDINANDI filium, Auſtriae Archiducem eſt praemiſſa. Porro legitur cum Jacobi, Petri ac Joannis epiſtolis dedicatio ad CAROLVM FERDINANDI filium ſcripta. Tandem addita eſt, una cum latina interpretatione, Evangelicarum & Apoſtolicarum lectionum tabula, nec non explicatio rituum quorundam eccleſiaſticorum ad GEO. GIENGERVM & IAC. IONAM, Senatores regios. Vltimum denique locum prima Syriacae linguae occupant elementa, ut & chriſtianae religionis ſolemnes ac quotidianae preces, adjectis in fine WIDMANSTADIORVM inſignibus. Quanquam dolendum eſt, quod vel ex incuria bibliopegae, vel ignorantia linguae, ultimae duae dedicationes in Teſtamento noſtro omiſſae, & nonnulla alio, quam decet, compacta ſunt ordine; nihilominus tamen & illud in Bibliotheca MEIENREISIANA, Gymnaſio Elbingenſi

p) add. *SCHELLHORN in amoen. literar.* T. II. p. 399. & T. XIII. §. 10-16.

bingenſi dono data, praeſtantiſſimum decus eſt & ornamentum. q)

Huic addimus

NOVVM DOMINI NOSTRI I. C. TESTAMENTVM Syriace cum verſione latina a MARTINO TROSTIO 1622 Cothenis Anhaltinorum in 4to maj. editum,

quanquam in calce legitur, illud jamjam A. 1621. 26 Sept. finitum fuiſſe. Hoc quidem Teſtamentum & forma & literis majuſculis illi WIDMANSTADII praeſtat: in eodem tamen edendo TROSTIVS, vir linguarum orientalium peritiſſimus, illius non minus quam aliorum ſequutus eſt filum. In rubro enim fatetur, ſe notationes variantis lectionis, in fine additas, ex quinque impreſſis editionibus, a KNOCHIO recenſitis, r) diligenter collegiſſe, quas inter illa WIDMANSTADII, cujus modo mentionem fecimus, primum occupat locum. Addidit inſuper TROSTIVS, Publ. ille in Academia Wittenbergenſi Prof. verſioni Syrae latinam IVNII TREMELLII, infra poſitam. Quantum vero utilitatis & commodi N. T. Syriacum, quo non Germania ſolum, ſed tota etiam Europa per decem & quatuor ſaecula caruit, ſecum ferat, IACOBVS MARTINVS, Profeſſor Academicus in praefatione, N. T. praemiſſa, inter alia ex Marc. V, 41. Matth. VI, 10. Jo. V, 2. Rom. IV, 5. 1 Cor. X, 2. docet, affirmans inſimul, hanc verſionem vel ab aliquo Evangeliſtarum, vel omnino ab illis, qui ipſos Apoſtolos Antiochiae habuerunt doctores, olim proveniſſe. Quae denique in omnibus N. T. libris, idiomate Syriaco impreſſis, deſiderantur, ſc. hiſtoria adulterae Jo. VIII, 1-11, dictum de tribus teſtibus in coelo 1 Jo. V, 7. epiſt. Petri ſecunda, Joannis IIda & IIItia,

---

q) vid. *MVLLERI diſſ. de Syriacis librorum ſacr. verſionibus, deque Viennenſi N. T. editione.* it. *THEOPH. SINCERI Bibl. hiſt. crit. librorum rar.* p. 118 &c.

r) l. c. 1. B. *p.* 586. add. *REIMANNI catal. bibl. theol.* p. 219.

IIItia, Judae & Apoc. Joannis, fruſtra etiam cum in TROSTII tum WIDMANSTADII quaeres editionibus. Tandem annotaſſe juvat, hunc codicem ex auctione librorum Viri plur. Reverendi Doctiſſimique MARTINI BERGAV, Paſtoris apud Schoenbergenſes in inſula Mariaeburgenſium majori quondam digniſſimi, donationis jure Bibliothecae publicae A. 1757 oblatum eſſe.

Sequuntur

SANCTVS MATTHAEVS

&

SANCTVS MARCVS

Syriace, Ebraice, Graece, Latine, Germanice, Bohemice, Italice, Hispanice, Gallice, Anglice, Danice, Polonice ex diſpoſitione & adornatione ELIAE HVTTERI Germani, in 4to maj. Noribergae 1599 & 1600 editi.

Quae jam antea de N. T. HVTTERI, 12 idiomatibus exarato, in medium ſunt prolata, eadem iterum de utroque hoc Evangeliſta dici poſſunt. Interim obſervandum eſt, neque Matthaeo, qui 543 conſtat paginis, neque Marco, qui 349 abſolvitur, ullam praemiſſam eſſe praefationem, ſed textum verſionum multiplicem, ob quem vel ſolum codex noſter ſpectabilis eſt, proxime ſequi titulum. Nec illud ſilentio praetereundum eſſe cenſeo, verſionem Syriacam in hac quoque editione literis Hebraicis, additis punctis, expreſſam; Ebraicam vero ipſius ELIAE HVTTERI ſtudio confectam eſſe. Ad hunc autem codicem, tanquam primum N. T. volumen, tria adhuc requiri, quibus cura HVTTERI ſacer hic prodiit liber, auctor eſt le LONG. ſ) Hinc utique optandum eſt, ut & ultima, quae deſiderantur N. hujus T. volumina, in complementum totius operis Bibliothecae aliquando inſerantur.

Vlterius

ſ) in *Bibl. ſacra*, P. I. p. 56.

Vlterius ſi in recenſendis Bibliorum, quae in publica Gymnaſii Bibliotheca exſtant, editionibus occupatus, catalogum ſupellectilis literariae in conſilium voco, occurrit mihi *NOVVM TESTAMENTVM GRAECVM*, quod a REIMANNO t) infrequens vocatur, & in rubro hac ratione inſcribitur:

α + ω

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

εἰς δόξαν τῦ φιλανθρώπου ἑνὸς τρισυποστάτου Θεοῦ, τῦ Πατρός, καὶ τῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος - - - - ἐργοδιώκτου τοῦ λογιωτ: κυρ: Ἐρασμοῦ Σχμιδίου. - - τυπωθεῖσα ἐν τῇ ουἱτεμβέργῃ, ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου Βωρεκίου χαλκογράφου, ἔτει τῆς ἐποχῆς τῶν χριστιανῶν α χ κ β.

Natales Teſtamenti hujus admodum rari orbis debet eruditus Graeciae aeque ac Germaniae. NICEPHORVS enim Theſſalonicenſis, Epiſcopus Hieriſſenſis ac in monte ſacro, (ut ex reliquis rubri patet verbis,) nec non DEMETRIVS, ſanctae civitatis Sacerdos, ZACHARIAM GERGANVM, Nobilem in Germaniam miſerunt, quo hujus cura & directore ERASMO SCHMIDIO, Pr. in Academia Wittenbergenſi Publico in uſum Chriſtianorum per Orientem auſpiciis & ſumptibus Theologorum modo laudatorum N. T. Graecum publici fieret juris, quod etiam DEO adjuvante AVGVSTVS BORECIVS u) Chalcographus typis exprimere incoepit: THOMAS vero TEICHMANNVS d. 9. Febr. 1622. in 4to ad finem perduxit. Quo facto exemplaria fere omnia in Graeciam transmiſſa ſunt, ita ut magna codici huic in Germania conſtet raritas, teſte KNOCHIO, ita ſcribente: w) Es iſt dieſe Ausgabe des griechiſchen N. T. deshalb in Europa ſo höchſt rahr geworden, weil ſie ganz unter die Griechen

t) in *catal. Bibl. theol.* p. 217

u) quem *le LONG in Bibl. ſacra*, p. m. 487. BONCEIVM vocat.

w) in der Braunſchw. Bibelſammlung, P. I. p. 436.

verschicket ist, und müssen gewiß nur sehr wenige Exemplarien in Wittenberg damahls zurück geblieben seyn, die hin und wieder einer grossen Bibliothek oder einem guten Freunde sind überlassen worden. Nec praetereundum esse judico, hoc Testamentum Graecum unicum fere sui generis esse. Siquidem nec in titulo, nec in praefatione, summariis, subscriptionibusque illius unicum deprehenditur vocabulum latinum. Dum autem in rubro legitur, hoc N. T. εἰς οἰκοδομὴν τῶν φιλοθέων καὶ εὐλαβῶν Ῥωμαίων, (in aedificationem piorum & religiosorum Romanorum,) editum esse, scias, christianos orientales h. l. ideo vicari Romanos, quia imperium Romanorum a Constantino M. Constantinopolin fuit translatum. x) Quaerenti denique, quo jure fatoque Bibliotheca Testamentum hoc admodum rarum possideat? respondeo, Virum Generosum, Amplisſ. Consultissimumque Dn. ALEXANDRVM VNTERBERG, A. 1736. tum Reipublicae patriae a Secretis, jam vero Consulem Seniorem ac Scholarcham Gravissimum memoriam sui eodem Musis nostris benevole signasse.

Porro rariores inter Codicis sacri versiones, quae Bibliothecae patriae magno sunt ornamento, merito etiam refertur

NOVI TESTAMENTI CROBATICI
literis Glagolicis Tubingae A. 1562. in 4to expressi
Pars Ima,

cujus titulus in Slavonica lingua superne; infra vero in Germanica positus, in rubro ita se habet: Der erst halb Theil des Neuen Testaments, darin sein die vier Evangelisten und der Apostel Geschicht, jetzt zum erstenmahl in die Crobatische Sprach verdolmetscht, und mit Glagolischen Buchstaben getruckt.

Haec rarissima N. T. versio, duabus constans partibus, auctorem habet PRIMVM TRVBERVM y) Carnionem, Evangelicae veritatis in

x) conf. die Hällische Bibliothec, St. 18. p. 471. 472. not.
y) conf. *BAYLENS* hist. und crit. Wörterbuch, ex edit. *GOTTSCHEDII* 4 Th. p. 408.

in Ducatu Carnionenſi, aliisque Germaniae regionibus teſtem. Ille enim artem ſcribendi lingua Vandalica primus excogitavit, z) & praeter praecipuos fidei chriſtianae articulos, LVTHERI poſtillam, catechismum, abecedarium, aliaque, etiam N. T. ex verſione LVTHERI Germanica & ERAS. ROTERODAMENSIS Latina in linguam Crobaticam, veteris Slavonicae filiam, vel potius dialectum convertit, ac literis ſic dictis Glagolicis publici fecit juris. a) Quo in negotio pio ac nunquam ſatis laudando uſus eſt patrocinio Nobiliſſimi IO. VNGENAD, Liberi Baronis a Sonnec, ſociosque habuit in eodem ut exilii ita & laborum STEPHANVM, Conſulem Iſtrianum, & ANTONIVM DALMATAM, Bibliorum Crobaticorum literis Latinis 1584 Wittenb. in fol. min. editorum auctorem, b) quorum effigies in extrema codicis noſtri facie impreſſae videntur. Huic Teſtamento Slavonico praemiſſa eſt a TRVBERO, tum temporis Paſtore Vrachienſi praefatio, ad MAXIMILIANVM Regem Bohemiae idiomate Germanico exarata, de chriſtianorum in Croatia, Dalmatia, Bosnia, Servia & Bulgaria ſtatu, deque Turcarum finitimorum religione multa exhibens teſtimonia. c) Interim hoc N. T. non in Vindemicis modo regionibus, quibus deſtinabatur, ſed in ipſa etiam Germania quam rariſſime deprehenditur: quippe codices in itinere intercepti, Neoſtadii Auſtriorum cadis incluſi hodienum adhuc aſſervantur. d) Hinc le LONG aſteriſco illud denotat, e) & PFEIFFERVS f) hac in cauſa ad THVANVM g) provocat. Inde facile conjecturare licet, hanc editionem ipſis vel plane incognitam fuiſſe, vel nunquam in conſpectum eorum veniſſe. Sicuti ergo

z) vid. *KOENIGII Bibliotheca vetus & nova, ad voc. TAVBER.* p. 819.

a) conf. *FRISCHII progr. de origine characteris Sclavonici.* p. 17. &c. add. die Leipziger N. Zeitungen von gel. Sachen. 1727. n. 43. p. 438 &c.

b) vid. Baylens Wörterbuch *ex ed. GOTTSCHEDII* 2 Th. *art. Dalmatin.* p. 251. 252.

c) add. *VOGTII catal. libr. rar.* p. m. 664.

d) teſte *HERM. FABRIC. MOSEMANNO* in der ſummariſchen Welthiſtorie.

e) in *Bibl. ſacra.* T. I. p. 401. f) in *Critica ſacra.* p. 339. g) Lib. 36. Hiſt.

Publicae Civitatis Regiomontanae Bibliothecae gratulandum eſt, quod in ea hoc N. T. totum deprehendatur: ita in den preußiſchen Zehenden allerhand geiſtl. Gaben h) legi utique meretur, qua via, quaque ratione illa in poſſeſſionem iſtius pervenerit. Eam, quam nos ob oculos habemus, Crobatici N. T. partem Gymnaſii noſtri Bibliothecae paucis abhinc menſibus liberali animo obtulit Vir Nobiliſſimus Doctiſſimusque CHRISTIANVS GOTTLIEB SCHERTZ, Luſatus Hexapolitanus, jam Civitatis Elbingenſis Actor ex officio fideliſſimus, GEORGII SCHERTZII, Sorabi & Paſtoris quondam Eccleſiae in Daubitz, Luſatiae Superioris pago nepos digniſſimus. Huic vero, ut in pagina rubro averſa legere eſt, Vir plur. Reverendus CHRISTIANVS SEYLER, Diaconus Rotenburgenſis, frater abavi GEO. DAN. SEYLERI, Gymn. Elb. quondam Rectoris, P. P. & Bibl. celeberrimi illam anno 1664 dono dedit.

Praeterea inter codices Bibliothecae noſtrae ſacros ſemet commendant

BIBLIA GERMANICO-LATINA,
typis IO. CRATONIS, X Tom. in 4to, cum gratia & privilegio
Wittenbergae excuſa, annoque Chriſti
1574 finita.

AVGVSTVS, Illuſtriſſimus Saxoniae Elector, ſingulari linguae Romanae diſcendae ſtudio inflammatus, geminata haec Biblia, Latinam aeque ac b. LVTHERI Germanicam verſionem interpoſitis columnis e regione exhibentia, in hac nova forma jam 1565 ſumptu ſuo excudi voluit: quippe operis hujus biblici editioni, ut e praefatione ALEXANDRO, AVGVSTI filio, Duci itidem Saxoniae dicata docemur, circiter duo millia aureorum quam clementiſſime impendit. In edendis vero his Bibliis uſus erat Elector modo laudatus praeſtantiſſimis Theologiae Doctoribus, PAVLO ſc. CRELLIO, GEO.

h) im III. St. n. IV. p. 235.

GEO. MAIORE, & PAVLO EBERO, Eccleſiae Wittenbergenſis Paſtore, e quibus huic, ut librorum V. T. illi ut N. T. curam ageret, iſti vero, ut locupletem in univerſa Biblia adornaret indicem, datum erat negotium. Hinc in diligenti Codicis ſacri a mendis repurgatione, & ejusdem in paragraphos diſtinctione, recentiumque typorum correctione tantam hi Viri adhibuerunt diligentiam, ut KORTHOLTVS i) fateatur, vulgatam in eodem ita reformatam eſſe, ut verſio plane alia, quam novantiquam dicere poſſis, enata inde fuerit. Interea haec Biblia, in quibus omnes in libros biblicos b. LVTHERI praefationes ſuo quamvis loco adjectas invenies, priſtinam dialectus Germanici rationem quibusdam in locis retinent. k) Sic enim inter alia Hiob. XIV, 19 floßen pro flößen, c. XXX, 28 börnen pro brennen, c. XXXIX, 28 kipffen pro klippen, & Marc. XI, 26 Feile pro Fehle legimus. Acta inſuper Apoſtolorum in hoc codice inſcribuntur ſecunda pars Evangelii S. Lucae, & teſtimonium illud Joannis I. ep. V, 7. de triplici Divinitatis perſona in utraque lingua eſt omiſſum. Tandem addere licet, Illuſtrem & Magnificum Dom. GEORGIVM BRAVN, Praeconſ. & Burggr. Regium Gymnaſii Bibliothecae haec Biblia A. 1601 donaſſe. His addo

BIBLIA GERMANICA PENTAPLA,
III. Tom. in 4to, Wandesbeci ab A. 1710-1712, typis HERM. HENRICI HOLLII edita.

Origenes, Epiſcopus quondam Alexandrinus, verſionibus Sacrae Scripturae Graecis mox quadruplicibus, mox ſextuplicibus, mox octuplicibus collectis, primum tetrapla, poſtea hexapla, & tandem octapla edidit. l) Cujus veſtigia ſequuturus HOLLIVS chalco-

 graphus

i) de *variis Bibl. edition.* c. 15. §. 21. add. *le LONG Bibl. ſacra.* P. I. c. 4. p. 666.
k) conf. *GOD. SCHVETZII* Beurtheilung einiger deutſchen Wörter, welche aus Lutheri deutſcher Bibel-Ueberſetzung mit Unrecht verdränget worden.
l) add. *BVDDEI Iſag. Theol.* p. 1585 &c.

graphus ſibi propoſuit, Biblia haec pentapla, ſeu quintuplicem S. S. verſionem Germanicam, uno conſpectu per quinque columnas poſitam, ſuis ſumptibus in lucem emittere. Prodiit ergo A. 1710 N. T. & 1711 prior V. T. pars a Pentateucho ad Jobum usque; A. vero 1712 poſterior, Prophetas & Apocrypha complectens. Adhaec libris N. T. praeter onomaſticum ſacrum, aliaque ad Geographiam & Chronologiam ſpectantia, appendicis loco adjecta ſunt octodecim Apocrypha, in linguam Latinam itidem translata, e. g. epiſt. Pauli ad Laodicenſes, Barnabae, binae Clementis ad Corinthios &c. Quod vero ad quintuplicem Bibliorum noſtrorum verſionem attinet, primum in V. T. illa CASPARIS VLENBERGII de A. 1620 & 1666, ab eccleſia catholica recepta, alterum, ea, quae eſt LVTHERI noſtri, tertium IO. PISCATORIS, Reformatis probata, quartum IOSEPHI ATHIAE Ebraeo-Germanica, & quintum denique Belgica de A. 1636 occupat locum; & quidem, ut verſum nonum Ezech. XIX, ſpeciminis gratia addam, hac ratione:

Catholiſche,	Lutheriſche,	Reformirte,	Jüdiſche,	Holländiſche Ueberſetzung,
Und ſie ſperreten ihn ein, und führeten ihn an Ketten zum Könige von Babylon.	Und ſtießen ihn gebunden in ein Gatter, und führeten ihn zum Könige zu Babel.	Und ſie legten ihm ein Mahlen-Schloß an mit Ketten, und führeten ihn zum Könige zu Babel.	Und ſie haben ihn gegeben mit Ringen eingeſchloßen, und ſie haben ihn zu dem Könige von Babhäl gebracht.	Ende ſy ſtelden hem in gefloten bewaringe met Hacken, op dat ſe hem brachten tot den Coninck van Babel.

In N. autem T. verſio IO. HENR. REITZII, quae h. l. nova audit, quartam implet columnam. Adhaec obſervandum eſt, omnium iſtorum interpretum in hoc codice exhiberi praefationes, quibus in V. T. ein allgemeiner Vorbericht, in N. vero T. ein kurzer Begrif des neuen Bundes, welchen Gott durch J. C. mit uns Menſchen gemacht, praemittuntur. Quaerenti interim, quem editor in publicanda hac quintuplici S. S. verſione habuerit finem, reſpondeo, illum

illum indifferentismi amore eo adductum esse. Hinc non modo teste DASSOVIO m) typographia horum Bibliorum in Borussiae Regis provinciis A. 1710 inhibita est: quia religionum indifferentismus inde metuebatur; sed REIMANNVS quoque scribit, n) ipsum codicis hujus auctorem interrogatum aliquando: cur LVTHERI versioni alias variarum religionum conjungeret? se praesente respondisse, unam esse fidem, unum DEVM. Idem etiam REIMANNVS l. c. refert, quae HOLLII pietas, quodque ipsius de S. Coena fuerit judicium. Hinc non mirum est, MICH. BERNVM, Pastorem quondam Wandesbecensem hoc opus pentaplum sub censuram vocasse. His HOLLII Bibliis, o) Vir Gener. Amplisf. Consultissimusque Dominus PHILIPPVS SCHROETER, Reip. patriae olim Consul & Territorii Elbingensis t. t. Quaestor longe meritissimus, propensam suam erga Musas remque literariam voluntatem testaturus, A. 1736 Bibliothecam locupletavit.

Non minus nostra meditatione nostroque studio digna sunt illa Biblia, quorum titulus sic se habet:

MJSTJSCHE und PROFETJSCHE BJBEL, Marburg. 1712. in 4to.

Haec Biblia, quorum explicationes Theologiam mysticam, ut & doctrinam de universali Judaeorum conversione & regno millenario ubivis sapiunt, varios habuerunt auctores, inter quos maxime ingenii sui vires periclitatus est D. HENRICVS HORCHIVS, qui ecclesiae reformatae, quae Marburgi floret, antea a concionibus fuit; postea vero ab officio remotus, nullibi sedem habuit fixam: imo repudiata, quam prius amplexus erat, de ἀποκαταστάσεως hypothesi,

m) in *alloquio de pura doctrina conservanda.* §. 5.

n) in *Bibl. Reim.* p. 227.

o) de quibus videsis die deutschen *Acta eruditorum*, P. I. ad A. 1712. p. 758 &c. & *BVDDEI Isag. Theol.* p. 1572. 1573.

theſi, D. PETERSENIVM magnum expertus eſt adverſarium. p) Omnes vero horum Bibliorum explicatores in enodandis vaticiniis & Prophetarum ſcriptis nec non Cantico canticorum COCCEIVM, celebrem Batavorum Theologum, ſequuti ſunt: in Apocalypſi Joannis vero ad Bremenſium Commentatorum, & praecipue LVDOV. CROCII mentem paraphraſin ſuam accommodaſſe videntur. Interim & in dividendo tempore horum Bibliorum editorum non eadem, quae COCCEII, fuit mens. Hoc enim & in Cant. cant. & in Apocalypſi Joannis ſeptem conſtituente periodos, illi tantum quatuor in Bibliis propheticis admittunt, quarum prior ſub Judaeis & paganis fuit ad annum Chriſti 312, altera ſub Imperatoribus chriſtianis usque ad A. 475, tertia ſub adverſario Chriſti, & quidem per 1260 dies propheticos i. e. annos Apoc. XI, 3, quarta denique libera facta partim per reformationem & plenioris doctrinae explicationem, qua aeternum evangelium omnibus gentilibus, populis, linguisque annunciandum erat, c. XIV, 6. partim etiam per regni millenarii adventum, c. XX, 4. Quamvis vero per univerſa Biblia explicationes propheticae, his periodis accommodatae, inveniantur: attamen ipſi etiam codicis hujus auctores in praefatione addita maxime provocant ad Deut. XXXIII, ubi totam Chriſti eccleſiam ab initio ad finem usque mundi in imagine Patriarcharum repraeſentari; ad Jeſ. LVII, in quo eccleſiam falſam vivis depingi coloribus; & tandem ad Cant. VI, 7. 8. ubi per 60 reginas, eccleſias inter Chriſtianos heterodoxas, per 80 pellices coetus Mahomedanorum, Turcarum, Perſarum, Tartarorum &c. per pediſſequas innumeras, reliquos paganos cum Chriſto nondum unitos, per unicam vero columbam veram Salvatoris eccleſiam intelligi credunt. q)

Nec

p) in dem Zeugniß von der Wiederbringung aller Dinge wieder einen Retrolapſianer. 1718. conf. *WALCHENS* Religions-Streitigk. der Luth. Kirche. P. II. p. 648.

q) add. die deutſchen *Acta eruditorum*, P. I. p. 762. & Lilienthals bibl. exeget. Bibliothec. Tom. I. Sect. I. p. 47.

Nec praetereunda esse statuo ea, quae anno demum praeterito publicae Gymnasii Bibliothecae dono data sunt,

BIBLIA GERMANICA in fol.

quaeque primo statim intuitu me attentum haesitantemque reddiderunt: quippe spurius illis ac suppositicius praemissus est titulus, sic se habens:

Biblia, dat is, de gantze Hillige Schrifft Olden ock Nyen Testamentes dörch Docter Martin Luther erst verdüdeschet, unde in de Plattdüdesche edder Neddersaßesche Spraack nahmahls uthgesettet mit Gloßen, Summarien unde Uthleggingen, dörch D. Johann Bugenhagen, Pommern. Gedrückt tho Lübeck in dat Jahr Christi 1532.

Non enim charta modo & literae, in rubro codicis nostri adhibitae, a reliquis librorum biblicorum admodum diversae sunt, sed praemissa etiam GEORGII BANNEHR, Bibliopolae quondam apud Elbingenses Spectatissimi relatio nos docet, hanc inscriptionem plane novam, recens inventam & in locum veteris, laceratae ac evulsae typis expressam esse. Mirum autem videtur, cur novi hujus tituli inventor non veterem potius, verum ac genuinum literis imprimendum curaverit, cujus teste Cel. Lubecensium Rectore a SEELEN r) hic tenor est:

De Biblie, vth der vthleggínge Doctoris Martini Luthers vn dyth düdesche vlitich vthgesettet, mit sundergen vnderrichtingen, alse men seen mach. Inn der Keyserliken Stadt Lübeck by Ludowich Dietz gedrücket M. D. XXXIII.

Inclutus ille veritatis evangelicae per Daniam instaurator, D. 10.

r) in *Sel. literariis.* p. 173.

BVGENHAGEN, Pomeranus, tantus translationis codicis ſacri fuit aeſtimator, ut quotannis in memoriam ejus cum amicis ac domeſticis ſuis, privatos inter parietes feſtum celebraret quam ſolemniſſimum: s) quippe non in edenda modo Bibliorum Germanicorum verſione b. LVTHERO & conſilio & auxilio ſemper praeſto fuit, ſed horum quoque Lubecenſium primarius exſtitit auctor & promotor. Ipſius enim ſuaſu & directione Biblia haec a quibusdam Theologiae Candidatis, t) inter quos etiam IO. HODDERSEN, Paſtor olim Hamelverdenſis fuiſſe creditur, u) in idioma Inferioris Saxoniae translata ſunt, & quidem e verſione LVTHERI: quippe in noſtro Lubecenſi codice aeque ac in Lutheri primo Bibliorum exemplari, illud de S. S. Trinitate teſtimonium 1 Jo. V, 7. deſideratur. Sicuti vero Wittebergae Bibliorum libri, & quidem omnes, in idiomate Superioris Saxoniae conjunctim ac in uno corpore auctore LVTHERO prima vice prodierunt: ita is civitati Lubecenſium contigit honos, ut Biblia LVTHERI, in idioma, quo Inferioris Saxoniae incolae utuntur, converſa, eademque tota ac completa in illa primum adſpexerint lucem. w) Quanquam vero Bibliis noſtris, tanquam perfectis & ad imprimendum paratis, jam anno 1532 x) BVGENHAGEN, Lubeca profecturus, praefationem, quae illam b. LVTHERI ſequitur, praemiſit: ea tamen, ut in rubro

---

s) conf. *FREHERI theatr. virorum erud. clar.* ad voc. Bugenhagen. p. 176. add. der Unpartheyiſche Bibliothecarius. P. I. n. 3. p. 23.

t) vid. Dieder. von Stade in der Vorrede zur Erläuterung etlicher deutſchen Wörter, deren ſich Lutherus bey Ueberſetzung der Bibel bedienet. p. 12 &c.

u) conf. *a SEELEN* l. c. p. 176.

w) vid. Kraffts hiſt. Nachricht von der zu allererſt gedruckten deutſchen Bibel Lutheri. p. 29.

x) quem annum tituli ſpurii inventor in rubro imprimendum curavit, ex hac, ut videtur, praefatione petitum.

rubro authentico legitur, anno demum 1533 DIETZII, chalcographi Lubecenſis, prelo ſunt commiſſa. Quod eadem vero Ao. 1534 d. 1. April. abſoluta ſint, verba docent in calce operis addita, quae plagula licet chartae in codice noſtro oblita, coelo tamen ſereno e regione ſolis adhuc legi poſſunt. Quo autem pateat, quantum utilitatis & jucunditatis haec quoque Bibliorum verſio in explicanda Scriptura Sacra ſecum ferat, unum & alterum addere juvabit locum. Ubi e. g. LVTHERVS in Superioris Saxoniae idiomate Gen. XLI, 43 ſcribit: Und ließ vor ihm her ausruffen: Der iſt des Landes Vater! ibi Biblia Lubecenſia ſic habent: vnde leth vor em vthropen, dat me de Kne vor em bögen ſcholde. Verba Lev. XVI, 29: Ihr ſollt euren Leib caſteyen, noſtra ſic exponunt: gy ſchole juwe ſeelen demödighen. Et ubi LVTHERVS Act. IX, 5: Es wird, inquit, dir ſchwer werden wider den Stachel löcken, ibi Lubecenſia dicunt: Idt wert dy ſwar werden, yegen den preckel achter uthſlân. Sic quam LVTHERVS Gen. XXXVI, 12 dicit Kebsweib, eandem noſtra vocant Biblia Byfrowe. Ita Lev. XVIII, 14 Waſe appellatur Mödder. Lilien Cant. VII, 13 dicuntur Alrunen. Morbus ille die Darre Jeſ. X, 16 audit de quinende Süke. Ciconia contra Jer. VIII, 7 nomen habet Edeber, & Matth. XXVII, 33 Schedelſtet vocatur Galgenberch. Quae tandem his Bibliis conſtat raritas, quodque pretium, non exinde modo patet, quod illa in regia Bibliotheca Pariſienſi y) ſedulo aſſerventur, & exteris tanquam κειμήλιον commendentur, z) ſed quod eadem etiam Lubecae, ubi typis impreſſa prodierunt, in civium manibus admodum rara inveniantur. Sic enim laudatus modo BANNEHR in fronte Bibliorum noſtrorum manu propria ſcripſit: Dieſe Bibel wird nicht allein in der königlichen

y) vid. *le* LONG *in Bibl. ſacra.* p. m. 452 & 468. ex edit. BOERN.

z) teſte *a* SEELEN l. c. p. 174.

lichen Bibliothec in Pariß den Frembden als eine große Rarität gezeiget, sondern sie ist auch eine große Rarität in Lübeck selbst: weil daselbst länger als in 100 Jahren kein Exemplar anzutreffen gewesen. Und ich, da ich 9 Jahr in Lübeck im Buchladen gestanden, habe daselbst erlebet, daß diese Bibel einmahl in einer Auction daselbst a 10 Rthlr. ausgegangen ist. Haec BANNEHR. Tandem scias, hanc rarissimam Bibliorum editionem a) Bibliothecae publicae ex auctione librorum Spectabilis IO. VNGERI, Ordinis Secundi Membri ac Mercatoris quondam felicissimi, ab ipsius genero Domino PETRO KAWERAV, Cive & Mercatore Honorato A. 1759. 12 Sept. esse oblatam. Qua insimul occasione laudati modo Domini VNGERI haeredes Gymnasio quoque liberaliter donarunt

Das Newe Testament
Deutzsch. Wittemberg. *In fol.*

Cui Testamento sua utique raritas, suumque constat pretium. Illud enim ad antiquissimos versionis LVTHERI codices pertinere, dabunt sequentia. Nulla quippe nec anni, nec typographi in eodem injicitur mentio. Nulla capitibus versuum addita est distinctio; & sicuti in hoc codice non paginae, sed folia numerantur; ita Evangelistae & Acta Apostolorum, quae das ander teyll des Evangelii Sanct Lucas von der Apostel geschicht inscribuntur, CVII, & epistolae LXXVII absolvuntur foliis: Apocalypsis vero Joannis, multis quidem imaginibus, ut vocantur ligneis in fol. ornata, absque omni tamen foliorum apparet distinctione. Cuivis denique libro additum est LVTHERI praefamen: in principio vero totius operis duplex praemittitur praefatio, quarum altera sic incipit:

---

a) WIDEKIND im Verzeichniß von raren Büchern. p. 464. 465. eam vocat S. R. A.

incipit: Es were wol recht und billich, das dis buch on alle vorrhede unnd frembden namen außgieng ꝛc. altera vero sic inscribitur: Wilchs die rechten vnd Edlisten bucher des newen testaments sind, b) in cujus calce Jacobi epistola, epistola straminea (eyn rechte strorn Epistel) c) respectu Paulinarum & primae Petrinae vocatur. Quae LVTHERI praefatio, ut & illa, Apocalypsi Joannis praemissa, cum multas apud nonnullos excitarint turbas, d) in recentioribus editionibus omissae, earumque loco aliae substitutae sunt. Praeterea & in hac editione, sicut in prioribus LVTHERI Bibliis praeter versiculum 26. c. XI. Marci, dictum illud classicum 1 Jo. V, 7. e) plane exulat: in commate vero 8 de tribus in terra testibus dicitur: Die drey sind eynis, loco: Die drey sind beysammen. Ut autem pateat, hanc N. T. versionem ab hodierna multis in locis diversam esse, juvabit itidem unum alterumve in subsidium vocare dictum. Sic e. g. in praefatione N. T. priori, ultima ex Gen. III, 15 citata ita leguntur verba: derselb soll dyr deyn hewbt zutretten, und du wirst yhm seyn solen zutretten. Matth. I, 2 legitur: Abraham hat geporn den Jsaac. Jsaac hat geporn den Jacob ꝛc. & verba Apoc. II, 17. quae in recentioribus editionibus sic se habent: Und will ihm geben ein gut Zeugniß, und mit dem Zeugniß einen neuen Nahmen geschrieben, LVTHERVS respiciens Grajorum consuetudinem, lapide albo, absolutionis signo, innocentiae bonaeque famae testimonium ferendi, in hac priori editione ita

 exposuit:

b) quae exstat etiam T. 2. Altenb. f. 493.

c) vid. *GERHARDI Exeg.* L. C. p. 291. *HVTTERI* L. C. f. 23. b.

d) add. *REIMANNI acceff. uberr. ad Catal. Bibl.* p. 142.

e) Qvi locus in nulla a LVTHERO curata editione repertus, & Bibliis ejusdem a LEONH. HVTTERO 1606 Witt. in 4 & 8 editis, primum additus dicitur, teste *IO. FRID. MAYERO in hist. verf. Germ. Lutheri.* p. 51. conf. *le LONG Bibl.* p. 211. P. II.

expoſuit: Und will yhm geben eynen weyßen ſteyn, und auff dem ſteyn eynen newen namen geſchrieben. f) Quae omnia ſatis ſuperque docent, hunc N. T. codicem ex primis LVTHERI editionibus fuiſſe, quem ille Wittembergae absque anni & chalcographi mentione prodire juſſit. Dum vero Cel. KRAFFT g) nos certiores facit, N. T. anno 1522 bis prodiiſſe, prima ſcilicet vice absque loci, anni & typothetae denominatione; altera vero, loco, anno & chalcographo additis, facile in eam adducor ſententiam, ut credam, hoc N. T. cujus in praeſenti rationem habemus, inter illa medium occupare locum: quippe non quidem anni & chalcographi; Wittembergae tamen, ubi prelo illud commiſſum fuit, in rubro mentio injicitur.

Huic merito ſubjungimus aliam, eandemque nitidam, raram ac variis figuris ornatam N. T. editionem, quae a capite ſic inſcribitur:

Das newe teſtament
deutzſch. Mart. Luther. Wittemberg.
M. D XXIII in oct.

additis in fine Apocalypſeos his verbis: Gedruckt zu Wittemberg Melchior Lotther der junger M. D. XXIIII. Hanc N. T. editionem inter & priorem in folio, cujus modo mentionem fecimus, nullum prorſus datur diſcrimen, praeter quod illa de 1523 forma excipiatur & indice Epiſtolarum ac Evangeliorum, in diebus Dominicis feſtisque praelegendorum, Apocalypſi Joannis addito, auctior ſit facta. Hinc ea, quae in priori de praefatio-

f) vid. *SECKEND. hiſt. Luther.* L. I. §. 144. p. 590.

g) in der hiſtoriſchen Nachricht von der deutſchen Bibel Lutheri. p. 2.

tionibus, loquendi ratione, ut & locis omiſſis diximus, in praeſenti recenſione repeti poſſunt omnia. Quo vero pateat, ex cujus liberalitate & haec N. T. editio admodum rara Bibliothecae noſtrae oblata ſit, ſcias, Virum plur. Rever. Doctiſſimumque Dom. IO. GODOFR. EHWALT, bonarum artium Magiſtrum & p. t. Miniſtrum verbi divini in Gedanenſium propugnaculo ad oſtium Viſtulae Fideliſſimum, ex incentivo in Patriam ac Gymnaſium Elbingenſe, cujus quondam Profeſſor LL. OO. fuit digniſſimus, amore eandem A. 1757 benevole transmiſiſſe.

Laudatis modo Sacrae Scripturae editionibus addimus

BIBLIA GERMANICA

una cum concordantiis interprete

IO. PISCATORE, IV. Vol. in 4to. Herbornae 1617 edita.

Haec Biblia, quae in rubro quarti voluminis das Herborniſche Bibel-Werk dicuntur, ab A. 1602 ad 1603 usque auctore IO. PISCATORE, Theologo Herbornenſi Celeberrimo, prodierunt & lucem ſaepius poſtea adſpexerunt. h) Hic vero magni nominis Theologus non novam ex Ebraeo ac Graeco fonte concinnavit verſionem Germanicam, ſed Latinam potius Tremellio-Julianam in edendo hoc opere ita per omnia ſequutus eſt, ut ſtylus quoque ipſius, Romani ſermonis indolem referens, Germanorum auribus ſubinde ingratior accidat. i) Sic e. g. Gen. XLIX, 17. 19 legimus: Dan, wirdt ein ſchlang am weg ſeyn, ein pfeilſchlange neben dem pfad: die dem pferd in die ferſen beißt, daß der jenige, der drauf ſitzt, zu rück fellet. Zu deinem hail, warte ich des Herren.

h) vid. *le LONG Bibl. ſacr.* P. II. p. 258. ex edit. BOERN.

i) add. *KORTHOLTVS de variis Script. edit.* c. 25. §. 25. p. 336.

ren. Gad belangend, den werdē die ſchwader anſprengen: er aber wirdt zuletzt andere anſprengen. Et ut ex N. T. locum quoque ſubjiciam, verba inſtitutionis S. C. 1 Cor. XI, 23-25 ſic ſe habent: Der Herr Jeſus in der nacht da er verraathen ward, genommen habe das broot, und nachdem er danckgeſagt, hab ers gebrochen und ꝛc. Deßelbigen gleichen auch das trinckgeſchirr, nach dem nachtmaal: und habe geſagt: Diſes trinckgeſchirr iſt das neue Teſtament durch mein blut. Solches thut, ſo oft ihrs trincket, zu meiner gedächtniß. Hinc LVD. ELL. du PIN dum, teſte BVDDEO, k) PISCATORIS in N. T. commentariorum mentionem facit, eruditionis quidem & ἀκριβείας laudem illi non denegat: cum vero minutiis inhaereat, ſtyloque utatur ſcholaſtico, taedium lectoribus eum creare, adſerit. Cuivis porro capiti utriusque Teſtamenti explicationes & doctrinas addidit PISCATOR, analogiae fidei Reformatorum ita accommodatas, ut teſte REIMANNO l) ex magni nominis Theologis ſolus fere ſit, qui Supralapſariorum doctrinam eſt profeſſus. Hinc IOANNI noſtro, non PETRVS modo PISCATOR, Theologus Jenenſis, aliique ex noſtratibus ſcriptis ſe oppoſuerunt, ſed ex ipſis etiam Reformatae Eccleſiae Doctoribus, ut LILIENTHALIVS refert, m) DAN. TOSSANVS opus hoc Piſcatorium ſub examen vocavit. Tandem ſicco praeterire pede non licet, hanc PISCATORIS verſionem eam eſſe, quae Bibliis HOLLII Pentaplis inſerta, tertiam ibidem occupat columnam. Noſter vero codex ex auctione librorum plur. Rev. Doctiſſimique Dom. FRANC. ADAMI RHODEN, Paſt. ad Corp. Chr. quondam Fideliſſimi, Bibliothecae publicae A. 1754 acceſſit uſibus.

Sicuti

---

k) in *Iſag. theol.* p. 1304.

l) in *Bibl. Theol.* p. 226. 227.

m) in der bibl. exeg. Bibl. T. I. Sect. I. p. 99.

Sicuti in recenſendis codicibus ſacris, quos Bibliotheca Gymnaſii poſſidet, ordinis hactenus rationem habuimus: ita ad illa jamjam BIBLIA POLONICA n) progrediendum nobis videtur, quibus, quanquam atro notanda ſunt carbone, in his tamen paginis non minus, quam in publica librorum ſupellectili locus vindicatur. Sunt vero iſta

BIBLIA BVDNAEANA
Zaslavii, apud DANIELEM LENCICIVM,
1572 in 4to edita.

Hiſce WIDEKIND o) non ultimum raritatis adjudicat ſpatium, eadem eine überaus rare Ausgabe vocans; quamvis Cel. RINGELTAVBE eadem admodum ſuſpecta nobis reddat, inter alia ita ſcribens: p) Iſt ein Buch rar in Polen, ſo iſt es, Gott ſey Dank! dieſe Bibel, welche eigentlich den Socinianern öffentlich zukommt, und die erſte iſt, nach ihrer Abſonderung von der Reformirten Kirche in Polen und Litthauen. Simon enim BVDNY ſeu BVDNAEVS, cum in Bibliis, Brzesci typis expreſſis, quaedam imperfecta ac corrigenda ſe inveniſſe crederet, ad fontes Hebraeos & Graecos ea iterum examinavit; examinata vero NICOLAI Principis RADZIVILIORVM, ejusdemque fratrum conſilio, inſtinctu ac impenſis in gratiam Vnitariorum ſeu Ariano-Socinianorum publici fecit juris. Facile autem conjecturatu eſt, quid de illo Sacrae Scripturae editore ſperare poſſis pietatis & religionis, qui vir dicitur ob horrendas in DEVM blaſphemias execrandus, ipſiſſimus & teterrimus Antichriſti in Lithuania anteambulo. Et talis RE-

n) De quibus legi merentur, quæ SAMVEL ERNESTVS TSCHEPIVS nobiscum communicavit in den Preußiſchen Zehenden. T. II. p. 835. T. III. p. 195. 579. 755 & ſeq.

o) in dem Verzeichniß von raren Büchern. p. 609.

p) in der gründlichen Nachricht von Polniſchen Bibeln. p. 142.

scio judice q) fuit BVDNAEVS, horum Bibliorum auctor, hoc stigmate non immerito notandus: quippe divinae Christi naturae tantus exstitit hostis, ut centum & triginta argumentis ac rationibus, ex S. S. collectis, probare vellet, Christum non ab aeterno verum esse DEVM, sed nudum tantummodo hominem, a Patre in deitatem assumptum. Unius saltem speciminis gratia rationem habeamus dicti. Joanne enim c. I, 1. dicente: & verbum erat apud DEVM, BVDNAEVS hoc comma ita interpretatur, ut teste RINGELTAVBIO r) per λόγον hominem intelligat interpretem, & πρὸς τὸν Θεὸν ei significet ad DEVM, ut hic inde eveniat sensus: Christus interpres caro i. e. homo mortalis factus, ad DEVM Judaeos convocavit, tandemque occisus est. Haec Socinianorum Biblia s) animo menteque liberali a VIRO Generoso, Amplissimo Consultissimoque Domino GEORGIO LAND, Consule Civitatis patriae Gravissimo, tum vero Secundi, ut vocant, Ordinis Seniore inter alia A. 1754 Bibliothecae sunt oblata. Dolendum vero, quod haec Biblia nostra a capite lacera & imperfecta appareant, rubro primisque illorum foliis deficientibus. Addimus vero illis sequentia:

BIBLIA SWIĘTA:

To jest, Kśięgi Starego y Nowego Przymierza &c. we Gdansku w Drukárniey Andrzeja Hunefeldá Roku MDCXXXII.

Haec Bibliorum Polonicorum editio, quam, multis alias modis emendatam, praeter DANIELEM MIKOLAIEVIVM & THOMAM WENGIERSCIVM, PAVLVS PALIVRVS Gedani in octavo in manus dedit hominum,

q) in tr. *de Atheismis & Phalerismis Evangelicorum.* add. RINGELTAVBE l. c. p. 151. 152.

r) l. c. p. 157.

s) de quibus plura videsis in CHRIST. SANDII *Bibliotheca Antitrinitariorum.* p. 55 & 201.

num, eſt illa, quae triſtiſſima fortunae ſubiit fata, eamque ob cauſam WIDEKINDO judice t) raros inter libros accepit locum. Decem enim correctoribus quaelibet plagula, ad limandum corrigendumque eam, ſepties tradebatur, ne error typographicus in eadem inveniretur ullus. Quo tamen non obſtante, quam facile & multis ſit errare, verſus primus c. IV. Matthaei nos docet. Cum enim Evangeliſta dicat, Jeſum a Spiritu in ſolitudinem ſeductum eſſe, ut a diabolo tentaretur, in hoc codice, literis d & o transpoſitis, non od dyabłá a diabolo, ſed do dyabłá ad diabolum legitur. Haec incuria, hic error inhibitionem judicialem, anathema, ignemque his conciliavit Bibliis, ita ut multa illorum millia, etiamſi cum gratia & privilegio S. R. M. edita, & VLADISLAO SIGISMVNDO, Polonorum Regi, dicata erant, flammis conſumerentur, inde quatuor, quinque, imo ſex ſolidis imperialibus ſaepe venire ſolent, rariora admodum facta. u) Duplex praemiſſa eſt praefatio, quarum poſteriorem Superattendentes & Paſtores Eccleſiarum, a reformatione nomen trahentium, NICOLAI RADZIVILIS RVFI Nepoti, Domino CHRISTOPHORO RADZIVIL S. R. I. Principi Illuſtriſſimo; priorem vero VLADISLAO IV, Poloniarum Regi, tanquam pretioſiſſimum donum tribuerunt. In fine autem N. T. una cum hiſtoria paſſionis J. C. & deſtructae civitatis Hieroſolymae, inſimul MATTH. RVBINSKI Pſalmi LOBWASSERI ſunt additi. w)

Sequitur NOVVM TESTAMENTVM POLONICVM, & Latino & Polonico titulo ornatum, quorum ultimus ſic ſe habet:

t) l. c. P. I. p. 610

u) vid. RINGELTAVBE l. c. p. 221 & 278. it. LILIENTHALS *exeget. Bibl.* T. I. p. 118.

w) Qui alias in his Bibliis deprehenduntur errores, videſis apud RINGELTAVBIVM l. c. p. 270 &c.

Páná náſzego Jezuſá Kryſtuſá
NOWEGO TESTAMENTV &c.
w Toruniu przez Melchiorá Neringá, 1585.

Hoc N. T., quod in 4to prodiit, duabus abſolvitur partibus, quarum prima quatuor Evangeliſtas & acta Apoſtolorum; altera vero eorundem epiſtolas & Apocalypſin Joannis includunt. Laudatus modo RINGELTAVBE varia hac de editione refert notatu digna, x) eam ſcilicet admodum raram ex Bibliis, quae Bresciae Lithuanorum quondam lucem adſpexerunt, omiſſis annotationibus petitam eſſe, in praefatione ejus paſtoralem ad amorem verbi divini contineri admonitionem, & denique indicem pericoparum dominicalium illi additum eſſe. Nullius vero nomine praefationi ſubſcripto, idem RINGELTAVBIVS ſtatuit, hanc N. T. editionem non tam cura Generoſi ac Ampliſſimi HENRICI STROBANDTI, de Republica & Gymnaſio, quod Thorunii floret, optime meriti, nec ullius ex Miniſterio, A. C. non variatae addicto, quam peregrinorum potius, tum temporis ibidem commorantium, auſpiciis prodiiſſe. Quod denique noſtrum attinet codicem, illum ex libris IOANNIS BARTHII fuiſſe, manus autographa, in capite illius A. 1606 addita, nos reddit certiores.

Praeter hoc aliud adhuc in Bibliotheca Gymnaſii deprehenditur N. T. Polonicum, grandiore literarum charactere impreſſum, cujus titulum, cum in codice, qui in Bibliotheca Ampliſſimi Magiſtratus Regiomontani exſtat, teſte RINGELTAVBIO y) deſideretur, addere juvat totum. Sic vero ille, cujus verba partim ex nigris, partim aureis, nonnullis etiam minio notatis conſtat literis, ſeſe habet:

NO-

x) l. c. p. 160 &c.
y) l. c. p. 163.

NOWY TESTAMENT
Albo Kśięgi Przymierza nowego: Páná Jezuſá Kryſtuſá Syná Bożego, Zbáwićielá swiátá. Teraz z wielką pilnośćią y pracą przeyźrzáne y wydáne.
W Wilnie, v Jákubá Márkowićzá, Roku 1593.

Hoc N. T. Illuſtri Palatino Brzeſcienſi, CHRISTOPHORO ZENOWICZ & Gratioſisſimo Caſtellano Zamoiſcienſi, NICOLAO NARVSSEWITZIO, quorum inſignia natalitia inſimul addita conſpiciuntur, verſibus adſcripſit Polonicis IOANNES KOZAKOWICZ. Quos excipit ipſa a MIKOLAY JURIEWICŻ ZENOWICŻ, cujus ſumptu hic liber publici factus eſt juris, ad laudatos modo Maecenates ſcripta praefatio, in qua inter alia teſtatur auctor, Lithuaniam ſemper ex Senatoribus magnum S. S. Patronorum ac Promotorum vidiſſe proventum. Denique ſcias, hanc N. T. editionem cum illa Bibliorum Brzeſcienſium translatione in omnibus convenire, & a beate defuncto Domino GEO. DAN. SEYLERO, Gymn. quondam Elb. Rectore ac P. P. Doctiſſimo, poſt fata etiam Colendo A. 1736 Bibliothecae libris inſertam eſſe.

Omiſſis, quae idiomate Polonico prodierunt, Bibliis, ad BOHEMICA progrediendum eſt. Illa vero, quae ex his in Bibliotheca Gymnaſii exſtant, ſequenti ornata ſunt titulo:

BIBLI SWATA.
To geſt, Knihá wníz ſe wſſecka Piſma Swaká Stárého y Nowého zakona zdrżugi: w nowé wytiſſtěna a wydána, Léta Páné MDXCVI. in 8tavo.

Ea fratrum Bohemicorum in adornandis Bibliis non minus quam in pietate promovenda fuit cura, eaque ſolicitudo, ut etiam ad novam utriusque Teſtamenti verſionem, ſua i. e. Bohemica lingua conficiendam, fontibus conformem, animum applicarent. Dividebatur ergo labor ille biblicus praeſtantiſſimos inter linguarum ſanctarum

peritos, M. ſcil. ALBERTVM NICOLAVM Sileſium, LVCAM HELICAEVM, ex ſanguine judaico prognatum, IO. AENEAM, ESAIAM CAEPOLLAM, GEO. WETTERVM, aliosque, quos le LONG fuſius indicat. z) Quo vero his Bibliorum Bohemicorum, quae opus quatuordecim annorum fuerunt, auctoribus nec ſumptus nec habitacula deeſſent, ubi labori ſacro in pace ac quiete vacare poſſent, IOANNES ZEROTINVS Baro a Nametz, erecta in Caſtello Kralitz dicto in Moravia officina Typographica, eos & patrocinio & munificentia ſua dignos ibidem judicavit. Haec Biblia, quae primum ab A. 1579-1593 per partes prodierunt, ſaepius ſunt recuſa. Ea vero, quae in Bibliotheca Gymnaſii conſpiciuntur, & a WIDEKIND a) eine ſehr rare Ausgabe vocantur, eſt editio illorum tertia, quam ex auctione Dom. SAMVELIS DEVBLINGERI, Med. Doct. & Membri Dicaſterii novae Civitatis Spectatiſſimi ab A. 1737 emptionis jure Athenaeum ſibi vindicat.

His ſubjungo BIBLIA ANGLICA, quorum titulus eſt:

THE HOLY BIBLE,
CONTEYNING THE OLD TESTAMENT
AND THE NEW &c.
Imprinted at London by ROBERT BARKER. 1612. 4to.

Ex quo & Magnae Britaniae cives non ultimi inter eos eſſe voluerunt, qui Sacram Scripturam ex Hebraeo & Graeco in Anglicum converterunt ſermonem: praeſtantiſſimi Britanorum eruditi de nova verſione edenda vario ſolliciti fuerunt tempore. Hinc Biblia Tyndaliano-Coverdaliana, b) quae prima fuerunt ex fontibus ab Anglicanis in linguam ſuam converſa, excipiebant illa THOMAE MATTHAEI, Matthews-Bibel dicta. Haec ſequebantur Tigu-

z) in *Bibl. ſacra.* P. II. p. 350 &c.
a) l. c. p. 437.
b) conf. le LONG *in Bibl. ſacra.* P. III. p. 322.

Tigurina & Genevenſia, ab Anglis tempore Reginae MARIAE ibi exulantibus edita. Poſt haec vero lucem adſpexerunt Epiſcopalia, (Bishops-Bibel,) quorum omnium dignitatem ac uſum verſio Regia (Die Königsbibel) adeo obſcuravit inumbravitque, ut reliqua in poſterum nullius aut exigui ſaltem apud Anglos fuerint pretii. Sic enim WIDEKIND ſcribit: c) Die Urſache von der Seltenheit der Biſchofsbibel iſt, weil man ſie ſeit der Zeit nicht mehr geachtet hat, da die von Jacob I. veranſtaltete Königsbibel zu Stande gekommen. In Bibliis his regiis conficiendis quadraginta ſeptem Theologi in Anglia doctiſſimi praeſtantiſſimique, electi & variis claſſibus diſtributi ab A. 1604 ad 1611 usque deſudarunt, omni opera omnique ſtudio in hoc opus collato, d) quo tandem anno ſc. ſequenti 1612 eadem partim in fol. partim in 4to regiis ſumptibus prodierunt. Plurima magnae eruditionis peritiaeque in linguis originariis, acuminis & judicii plusquam vulgaris ſpecimina in hac occurrere verſione, fatetur Cel. POLVS, e) adeo ut, teſte WALTONE, f) omnes inter Europaeas translationes haec emineat Anglicana. Hinc KORTHOLTVS auctor eſt, g) Anglos Epiſcopales eadem hodie adhuc in conventu publico uti, praeter pſalterium, quod ex veteri ſub EDVARDO VI. condita verſione legunt. Et haec regia ac egregia Biblia ſunt ea, quae in ſupellectili Gymnaſii libraria Bibliotheca exhibet MEIENREISIANA.

Praeter haec duplex adhuc Bibliorum Anglicanorum datur codex, quorum alter 1618, alter vero 1621 apud BONHAMVM NORTONEM & IOANNEM BILL, chalcographos, Londini in 8vo prodierunt. Dum vero utraque haec Biblia IACOBI I, Regis Angliae auſpiciis typis madata, verſionis Regiae nomine veniunt, ea quae

---

c) l. c. p. 487 - 492.
d) vid. le LONG. l. c. p. 331.
e) in *praefat. ad Synopſin Critic.*
f) in *appar. Bibl. prolegom.* 5 *ſub f.*
g) in *tr. de variis Script. edit.* c. 27. p. 355.

quae de iisdem modo dicta sunt, & h. l. repeti possunt omnia. Illa vero de 1621 ex librorum apparatu sunt THOMAE ROTI, Rectoris quondam Elbingensis, quem Amplissimus ac Generosus Civitatis Magistratus emptionis jure comparatum, Gymnasii Bibliothecae munificentissime obtulit.

Sequitur codex Sacrae Scripturae Suecicus, hoc ornatus titulo:

BIBLIA.

Thet åhr: Hela then Helga Schrifft På SWENSKA, med utgående Verser samt ꝛc.

Tryckt; Leyden, hoß *JACOB MARCI.* 1636. *in 8vo.*

Nec ultimam Suecorum in promovenda pietate per S. S. typis expressam h) fuisse religionem, auctor est IO. ERICHSON. i) Quippe non GVSTAVVS modo I, Suecorum Rex, Biblia ex versione LVTHERI Germanica in idioma Suecicum transferri jussit, sed eadem etiam revisa GVSTAVVS ADOLPHVS suis sumptibus in forma portatili typis prodire voluit, quo & domi civibus, & in castris praecipue militibus usui forent. Cujus vestigia premens CHRISTINA, Suecorum Regina aliam Bibliorum editionem, diplomate Regio stipatam, 1637 itidem Lugduni in lucem emittendam curavit, cujus exemplaria fere omnia in naufragio periisse dicuntur. k) Noster codex, qui in titulo anteriori 1636 prodiisse legitur, quamvis posteriores tam V. quam N. T. praemissi annum 1635 habeant, post rubrum exhibet insignia Regum Sueciae, ut & Comitum ac Baronum de OXENSTIERNA, de la GARDIE & de GYLDENHIELM arma gentilitia, quorum nominibus haec adscripta sunt Biblia.

Ju-

h) vid. le LONG. l. c. P. II. p. 292.

i) in der Schwedischen Bibelhistorie.

k) conf. le LONG. l. c. P. II. p. 295. & VOGTIVS *in catal. libr. rar.* p. 124.

Jubet tempus, ut & illorum Bibliorum faciam mentionem, quae ante LYTHERI verſionem A. 1518. Aug. Vindel. ex officina SYLVANI OTMARI in folio ſequenti prodierunt titulo:

Bibel Teutſch
der erſt Tail.

Haec S. S. editio inter tres illas, quae OTMARI cura A. 1507. 1518 & 1524 publici factae ſunt juris, ſecundum occupat locum; cumque a WIDEKINDO l) admodum rara (eine S. R. A.) vocetur: dolendum omnino eſt, quod ejus primam tantummodo partem, (conſtat vero duabus,) ex donatione *Viri Spectabilis Doctiſſimique Dn. IOANNIS DOMINICI HECHTII*, p. t. Not. Offic. Pupillaris Meritiſſimi publica poſſideat Bibliotheca. Interim praeſtat, unam horum Bibliorum habere partem, quam plane nullam. Hic codex pro temporum conditione admodum nitidus, multis exornatus eſt imaginibus, gaudetque literis capitum initialibus, typis expreſſis; nulla tamen paginarum, nullaque verſuum diſtinctione. Noſtrae Bibliorum parti colophonem imponit Davidis pſalterium, ex cujus cantico primo, ad indolem verſionis hujus Germanicae aliqua ex parte cognoſcendam, verſum addere licet primum, ſic ſe habentem: Selig iſt d' man der nit abgieng in dem rabt der ungütigen: und nit ſtünd in dem weg der ſünder unnd nit ſaß in dem ſtül der peſtilenntz. Qua de editione videſis MEYERVM, m) aliosque. n)

Sequuntur Biblia Germanica, Pomeranorum dialecto conſcripta, hoc ſub titulo:

BIBLIA dat is de ganze hillige Schrift, dudesch D. MART. LVTHER, mit der beſten correctur flytich collationeert unde na der sylvigen emenderet. Bart in der Förſtichen Drückerye dorch Hans Witten. 1588. Im Auguſt. mit *fig.* gr. 4.

Haec Biblia, in tres partes diviſa, aſt uno volumine compacta, juſſu Sereniſſimi Ducis BOGVSLAI XIII. juxta exemplar Wit-

I tem-

l) in dem Verzeichniß von raren Büchern. P. I. p. 457.
m) de *verſionibus S. S. ante LVTHERVM.* §. 8.
n) LILIENTHAL in den Pr. Zehenden. B. II. p. 55. *le LONG in Bibl. Sacra* P. I. p. 190. Nachrichten von einer Häll. Bibl. B. 3. p. 283.

tembergenſe de A. 1545, ut & illud de A. 1561, & quidem membranaceum, quod in Bibliotheca Ducali Wolgaſtienſi tum temporis aſſervabatur, typis expreſſa eſſe, ipſa WITTII Chalcographi docet praefatio, in cujus fine eruditi cujusdam, qui ſub literis initialibus M. J. L. latet, ſequentes leguntur verſus:

Haec tua te pietas docuit monumenta dediſſe,
BVGSLAVE, o Magnum relligionis opus.
Omnia praetereunt, Majeſtas ſola manebit
Verbi, quod ſonuit coelitus ipſe Pater.
Hoc dum proponis populis patriaeque legendum,
Rite Pater Patriae diceris eſſe tuae.

Nulli quidem in hoc codice additi ſunt capitum verſus, nec in eodem paginae, ſed folia tantummodo numerantur; interim ad marginem deprehendes non loca ſolum parallela citata, ſed varias quoque gloſſas & annotationes. Quas inter illam, quae ad verba: Averſt ere Geweldigen brachten eren Hals nicht thom Denſte erer Heren, Neh. III, 5. legitur, ſpeciminis loco annotaſſe juvat, ſic ſe habentem: De Armen möten dat Crütze dragen, de Ryken geven nichtes. Dus Es hefft nicht, Sees Zincke gifft nicht, Quater Dre de helpen fry. o) Ipſe vero Pomerani ſermonis dialectus in cauſa eſt, cur a verſione LVTHERI modo laudata ſaepius diſcederent Auctores. Hinc Ezech. XIX, 9. ubi LVTHERVS: und ſtießen ihn gebunden in ein Gatter, ibi verſio Pomerana dicit: und ſlötten en gebunden in en Schranckwerck. Das Verwahrloſete in Iſrael Jeſ. XLIX, 6, vocatur dat Verröckeloſede in Iſrael; die Hochzeitleute Matth. IX, 15. de Brutlachtes Lüde, & wieder den Stachel lecken Act. IX, 5. gegen den Prekel achter uthſlahn. Sic Luc. VI, 1. audit der Afterſabbath en Nahſabbath, & Marc. X, 25. das Nadelohr en Nateloge. Imo colloquium, quod Eccleſiam inter ac Meſſiam habitum, Jeſ. LXIII, 2. 3. deſcribitur, ita incipit: Worümme is denn dyn Gewant ſo rotfarwich, unde dyn Kled alß eines Wynparſen Tröders? Ick tröde de Wynparſen

o) Qvae verba dum etiam in nonnullis S. S. editionibus Belgicis, e. g. Delfenſi de A. 1596. in 4to. aliisque leguntur, evenit inde, ut teſtibus *VOGTIO* in *Cat. libr. rar.* p. 96. & *SALIENIO* in *libr. rar.* p. 207. haec Belgarum Biblia Deux aas Bibel vocentur.

ſen alleine ꝛc. Adhaec ſciendum eſt, quod locus ille 1 Jo. V, 7. nec in hac editione typis expreſſus ſit. In fine vero Apocalypſeos doxologia legitur ex Pſ. CXXXV, 21. petita, hujus tenoris: Gelavet ſy de Here uth Zion, de tho Jeruſalem wanet, Halleluja: quam demun index in univerſa excipit Biblia. Hic codex p) ex librorum *Viri Plur. Reverendi Doctiſſimique Domini EBENTHEVR*, Paſtoris quondam apud Hirſchfeldenſes Fideliſſimi auctione, 1763 Elb. habita, Bibliothecae Gymnaſii liberali animo eſt oblatus.

Sed progrediendum eſt ad alium codicem, aeque notatu dignum, ſcilicet ad

BIBLIA CVM CONCORDANTIIS V. & N. T.

quae, ut in fine legimus, *impreſſa ſunt Lugduni per IOANNEM MARION. Expenſis ANTONII KOBERGERI, Nuremburgenſis. Feliciter explicit A. N. S. 1520. d. 12. Dec. in fol.*

Hanc Bibliorum editionem, quae ante verſionis vulgatae reviſionem, a Sixto V & Clemente VIII curatam, prodiit, in raris habendam eſſe, vel exinde conjecturare licet, quod inſtructiſſimis etiam Bibliothecis publicis rariſſime ea deprehenditur. Inde forſan evenit, ut nec KNOCHIVS, q) nec WIDEKIND, r) nec VOGTIVS s) illius faciant mentionem. LE LONG vero eandem in Bibliotheca Sorbonenſi, ut & in ea S. Genovefae Pariſiis ſe vidiſſe, teſtatur. t) Dum vero illa Bibliorum editio, quae Lugduni expenſis KOBERGERI per M. IAC. SACON A. 1522 publici facta eſt juris, cum praeſenti, quam in manibus oculisque habemus, ut ex KNOCHII recenſione u) videre eſt, in omnibus fere convenit, apparet inde, illam ad hujus noſtrae exemplar, SACONIS opera curaque prelo eſſe commiſſam. Quod itaque ad ipſam attinet editionem noſtram, in illa, Gothicis adhuc literis, aſt melioribus ac elegantioribus,

p) de quo conf. Nachricht von der Häll. Bibl. B. VII. p. 397. VOGTIVS l. c. p. 112. & *le LONG* l. c. p. 248.
q) in der Braunſchweigſchen Bibelſammlung.
r) in dem Verzeichniß von raren Büchern.
s) in *Catal. libr. rar.*
t) in *Bibl. Sacra.* P. II. p. 462. coll. p. 449. 452.
u) l. c. p. 846.

quam esse solent, conscripta, non paginae sed folia CCCXVII, quibus utrumque absolvitur Testamentum, numerantur. Columna in medio cujusvis paginae relicta, illarum quaelibet in duas dividitur partes; & litera quaevis initialis non libri modo sed capitis etiam, figura ac ornatu includitur ligneo. Ipsi vero N. T. ad fol. CCXLV. praemittitur imago satis pulchra, in qua Maria & Josephus in strabulo Bethlehemitico puerum IESVM, in stramine foeni humi jacentem, praesentibus angelis ac pastoribus, flexis genibus adorantes exhibentur, verbis infra additis: O immensum chaos & inclite celsitudinis fili mi quis digne valebit tuam radiosam speciem contemplari? Praeterea in hac editione, ut ut verba in fine se habent, studiosissime revisa, correcta & emendata praeter alia canones quoque additi sunt Evangeliorum, & Evangelistarum concordantiae, capitumque summaria. Nonnulli tandem coronidis loco in fine Apoc. adjecti sunt versus, qui Orthographia servata ita incipiunt:

Fontibus e grecis hebreorum quoque libellis,
Emendata satis: & decorata simul:
Biblia sum presens: superos ego testor & astra:
Est impressa nec in orbe mihi similis &c. w)

Hunc S. S. codicem admodum rarum *Vir Spectabilis Honoratusque Dnus. IO. HENR. DEWITZ*, Advocati, ut vocant, Communitatis spartam quadriennio abhinc nactus, non modo Bibliothecae Gymnasii liberaliter inserendum curavit, sed sequentem etiam, cujus sic se habet titulus:

HIERONYMVS FROBENIVS LECTORI S.
En damus Amice Lector
VTRVMQVE TESTAMENTVM
juxta vulgatam quidem editionem sed a mendis — repurgatum — In hos enim libros vel minimum erratum intulisse, piaculum ducimus. Basileae ex officina Frobeniana A. 1530. M. Mart. in fol.

Haec

w) Hi versus etiam leguntur in Bibliis latinis de A. 1479. vid. WIDEKIND l. c. p. 561, ut & in illis dei A. 1486 teste SALTENIO l. c. p. 199, nec non in illis de A. 1518, Lugd. impressis, de quibus *REIMANNVS* in *Cat. Bibl. Theol.* p. 206.

Haec Bibliorum editio in Brunſwicenſi codicum ſacrorum collectione, quam KNOCHIO debemus, non obvia, ſingulari HIER. FROBENII, IO HERVAGII & NIC. EPISCOPII cura, ut ad calcem N. T. legimus, nitide & emaculate excuſa eſt. Hinc emendatione ut & typorum ac chartae ſplendore non minus, quam raritate ſua commendabilis omnino habetur. Indicem librorum V. & N. T. praemiſſum epiſtola ſequitur HIERONYMI ad PAVLINVM, ejusdemque in Pentateuchum praefatio, quam ipſe excipit codicis ſacri textus, capitibus eorumque argumentis ac locis parallelis in margine adjectis. Dum vero verſiculorum diſtinctio in utroque Teſtamento plane deſideratur, in parallelis citandis ſola indicantur librorum capita ſectionibus, in quas quodvis diſtributum eſt caput, per elementa literarum in margine additis. Inſuper praemiſſus eſt N. T. elenchus Euſebianus: in fine vero adjecta eſt vocum Hebraicarum interpretatio, ſed longe, quam ante haec fuit, exactior, additusque ſententiarum inſignium index.

Progredior ad Biblia Britto-Wallica, eademque ſplendidiſſima, quae SALTENIVS x) rariſſima vocat; WIDEKIND vero, y) Bibliorum Wallicorum (loquitur autem de iis, quae jam 1588 in fol. prodierunt,) raritatem probaturus, ſcribit: Dieſe Walliſche oder Cambriſche Bibel iſt rar, ja ſo rar, daß man nicht einmahl den rechten Titul derſelben irgendwo aufgezeichnet findet. Hinc VOGTIVS quidem z) illorum titulum latinis allegat verbis; annum vero impreſſionis cum RICHARDO SIMONE a) addere non novit: quia eadem forſan nunquam viderunt. En igitur titulum noſtrorum Bibliorum in lingua Wallica typis expreſſum:

Y Bibl Cyssegr-lan, Sef yr Hen Destament a'r Newydd. Llundain. 1689.

N. vero T. anno demum 1690 in lucem emiſſum eſſe, ex ipſius rubro edocemur. Quod ad ipſa Biblia, illis nulla praemittitur praefatio, ut in aliis ejusdem linguae codicibus de A. 1588 &

x) in *Bibl. libr. rar. & rariſſ.* p. 499. n. 2523.
y) in dem ausführlichen Verzeichniß von raren Büchern. p. 260.
z) in *Cat. libr. rar.* p. 94.
a) in *diſſ. de variis Bibl. edit.* p. 205.

1620 factum esse, scribit LE LONG b) sed rubrum ac librorum biblicorum recensionem sequitur statim Geneſis, & Novo Test. colophonem imponunt cantilenae Dawidicae, per EDMVNDVM PRYS, Archid. Merionnidensem compositae, & A. 1690 prelo itidem commissae. Nec hoc silentii peplo involvere licet, in V. T. desiderare apocrypha, Malachia canonem illius claudente. *Vir Generosus, Plur. Rever. Doctissimusque IACOBVS a PERARD*, Borussorum Regis ab Oratoribus Aulae sacris, Ecclesiae Gallicae apud Stettinenses Pastor Primarius, ac scientiarum Academiis Petropolitanae, Berolinensi, Holmensi, Bononiensi & Rupellensi, itemque Societatibus Teutonicis Regiomontanae, Goettingensi, Gryphiswaldensi, Jenensi, Helmstadiensi, Bremensi ac Londinensi de fide propaganda adscriptus, qui magnus Musarum Elbingensium Fautor, suam in Bibliothecam Gymnasii nostri propensionem scriptis librisque oblatis jam saepius testatus est, haec quoque Biblia rarissima eidem Cal. Jan. a. h. strenae loco Sedino dono misit. Imo codici huic, quam in manibus habeo, novum Ipse raritatis addit argumentum, dum in fronte illius sequentia manu refert sua: Cette Bible en langue Galoise a été tirée du Cabinet de la Reine Marie Epouse de Guillaume III. Roi d'Angleterre. Son nom se voit en plusieurs endroits de la converture. Sedecies enim in extrema involucri facie literae Reginae initiales, M. R. deauratae & corona regia ornatae leguntur.

Porro deprehenditur in Bibliotheca Gymn. codex S. S. latinus perrarus in 8. in cujus rubro sequens legitur titulus:

BIBLIA CVM SVMMARIORVM APPARATV
pleno quadruplicique repertorio insignita &c.

Medium rubri occupant imagines Apost. Petri ac Pauli, Veronicae velamen, cui caput CHRISTI impressum est, tenentium. Infra autem in libri commendationem sequentes additi sunt versus:

Emendata magis scaturit nunc biblia tota
Que fuit in nullo tempore visa prius &c.

In Apocalypseos vero fine, quem folium quingentesimum exhibet, legimus, haec Biblia *Lugduni* in officina IAC. MARESCHAL A. 1019.

XVII

b) in Bibl. Sacra. T. II. p. 366. 367. ex edit. Boern.

XVII Cal. Nov. prodiiſſe. Cum vero artem calcographicam A. demum 1440 inventam eſſe conſtet inter omnes: c) facile dijudicatu eſt, Biblia haec Lugdunenſia non 1019, ſed quod multae abbreviaturae aliaque antiquitatis docent ſigna, A. 1519 lucem adſpexiſſe. Ipſa Biblia & charta & literae commandant, quarum quidem initiales omnium librorum aeque ac capitum ligno exſculptae, facie humana ornatae apparent; epiſtolae vero HIERON. ad PAVLINVM, quae ante Geneſin legitur, praemiſſa eſt imago quaedam, ſex creationis dies in ſex ſectionibus quam affabre exponens. Ad haec lectiones variantes partim, partim annotationes in margine poſitae ſunt notatu dignae. Sic enim Jubalem legimus laneficii & texturae artes inveniſſe, Gen. IV. Enochum, literarum inventorem, primum libros edidiſſe, c. V. Japhetum Aſtronomiae auctorem fuiſſe, c. X. Ninum patris ſui Beli ſtatuam adorari juſſiſſe, c. XI. eundemque Ninum nummos primum cudiſſe, c. XII. Melchiſedecum, filium Noae, ſacerdotem DEI fuiſſe, qui primus templa condidit ſacra, c. XIV. Quod vero ad illa, Jovem in Arcadia regna inſtituiſſe, c. XX. Lelium Cretenſem patrem Saturni, Veſtam vero ejusdem matrem fuiſſe, ac Minervam lanificium, olei & quadrigarum uſum inveniſſe, c. XXI. Janum in Italia regnaſſe, c. XXVI. Iſidem literas, agriculturam & mores compoſitos Aegyptios docuiſſe, c. XXIX. ea, Gentilismum ac Mythologiam redolentia, e S. S. paginis potius exſtirpanda, quam in illas inferenda eſſent. Tandem ſcias, haec Biblia a Dno. Io. FRID. ENDERSCHIO, Mathematico Regio ac Cive Elbingenſi Honeſtiſſimo A. 1747 uſibus Bibliothecae oblata eſſe d)

Sequitur codex S. S. alius, quem b. LILIENTHAL e) eine hauptrare Edition; KNOCHIVS vero f) eine höchſtrare und ſaubere Bibel-Ausgabe vocant, & cujus titulus ita ſe habet:

BIBLIA

Quid in hac editione praeſtitum ſit, vide in ea, quam operi praepoſuimus, ad lectorem epiſtola.

Lute-

c) LESSERS kurzgefaßte Hiſtorie der Buchdruckerey. KAPPENS Buchdruckerkunſt. & *SEYLERI Act. euchar. in memoriam tertii ab inventa Typographia Jubilei.*

d) vid. *plura apud KNOCHIVM*, l. c. p. 837.

e) in der Exeg. Bibl. P. I. p. 74. f) l. c. P. I. p. 862.

Lutetiae. Ex offic. ROBERTI STEPHANI, typogr. regii. 1545. cum priv. Regis.

Hic S. S. codex in 8. quem *Vir Plur. Rev. Doctiss. ALEX. NIC. TOLCKEMIT,* Fidelissimus tum temporis apud Preuschmarcenses, postea vero ad S. Annae verbi divini Minister, ὁ νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις, A. 1755 Bibliothecae benevole obtulit, eo gratior & acceptior est, quo magis ad rariores & notatu dignissimas pertinet editiones. Inde evenit, ut his Bibliis VFFENBACHIVS g) pretium duodecim, Anonymus quidam h) quatuor, KNOCHIVS i) vero octo imperialium adjudicent. Tantam enim ROB. STEPHANI adversarii libro huic divino pararunt internecionem, ut vix unum aut alterum in Germania, in Gallia vero fere nullum ejusdem supersit exemplar: quippe non a Theologis modo Ecclesiae Gallicanae, ipsaque Academia Sorbonnica haec Biblia damnata fuisse constat, sed Theologi etiam Lovanienses illorum instinctu ea in indicem expurgatorium intulisse dicuntur. k) Quae Biblia cum STEPHANVS annuente Gallorum Rege, FRANCISCO I. typis nitidissimis, & ut fama est, argenteis, ast minutissimis insimul excudere in animum induxisset: in altera columna versionem latinam vulgatam, litera V notatam; in altera autem novam translationem sub lit. N, adjectis in margine annotationibus, pietatis ac doctrinae ipsius testibus, ponere decrevit. l) Quae causa fuit, cur Cel. M. MICH. LILIENTHAL m) STEPHANVM impostura literariae accuset, ac si LEONIS IVDAE editionem Tigurinam de A. 1543 pro SANCTIS PAGNINI venditasset, & nec VATABLI, sed suasmetipsas, ut & CLAVDII BADVELLI ac THEOD. BEZAE annotationes sub nomine suo mundo obtrudere voluisset; a qua tamen suspicione ac impostura eum fusius liberare studet saepe laudatus KNOCHIVS. n)

In-

g) in *Bibl. Vffenb.* T. I. p. 17. n. 14.
h) in *Bibl. Anon.* Nor. 1738. p. 181.
i) l. c. p. 862.
k) l. c. p. 865. 866, ex ipsa a STEPHANO edita Apologia. p. 14. 15. *RELMANNI* cat. Bibl. Theol. p. 223. Nachricht von einer Hall. Bibl. B. 5. p. 189.
l) *le LONG.* l. c. p. 602.
m) l. c. p. 74. 75.
n) in der Braunschw. Bibelsammlung. p. 863. &c.

INDEX
BIBLIORVM,
IN HOC OPVSCVLO COMMEMORATORVM.

Literae majores, in medio positae, denotant plagulas, in quibus Bibliorum recensiones, typis expressae, inveniuntur.

A

Biblia polyglotta, Antwerp. VIII. Vol. per Chr. Plantinum. in fol. 1569-72.
Biblia polyglotta Franc. Vatabli ex officina Commel. I. II. Vol. in fol. 1599.
N. T. δωδεκαγλωττον Eliae Hutteri. Nor. I. II. Vol. — 1599.

B

Biblia Hebr. Eliae Hutteri P. I. per Jo. Saxonem, Hamb. in fol. 1587.
Biblia Lat. vulgata opera Nic. Jensonis, lit. Goth. Venet. — 1479.
Biblia Lat. vulg. cum postillis Nic. Lyrae, lit. Goth. Ven. — 1481.
Biblia sacra sumptu Jo. Kobergeri per Foed. Peypum, Gothice, Norimb. — 1523.
Biblia sacro sancta per Christ. Froschoverum, Tiguri. — 1543.
Biblia Lat. Roberti Stephani, Lutetiis. — 1546.

C

Biblia sacra Nic. Lyrani, Vol. I-VI. Ven. in fol. 1588.
Biblia Lat. tertia Franc. Junii, typis Wechelianis, Vol. I. II. Hanov. — 1596.
Eadem, quarta. — 1603.
Biblia sacra Lucae Osiandri, Franc. ad Moen. Vol. I-III. — 1609.
Biblia Germanica, Aug. Vind. — 1477.
Der erst Tail der Bibel per Ant. Koburger, Norimb. — 1480.
Biblia dudesch dat erste und andere Deel, Halberst. — 1520-22.

D

Biblia Vinariensia, Norimb. in fol. 1692.
Biblia Belgica, s. die große Staaten-Bibel, Lugd. Bat. — 1663.
Biblia Germ. per Wilh. Wesselium, Cassellis, T. I. II. — 1601.
Biblia sacra Andr. Osiandri, typis Matth. Beckeri, Francof. — 1611.
N. T. Graeco-Lat. Des. Erasmi per Jo. Frobenium, Basileae. — 1522.
N. T. trilingue Imman. Tremellii per Jo. Stephanum, Heidelb. — 1569.
N. T. Graeco-Lat. typis Henr. Stephani, Genevae. — 1582.

E

Biblia Hebr. Seb. Munsteri, Basil. in fol. 1536.
Biblia Hebr. Christ. Plantini jussu Bombergi, Anversae. in 4to. 1566.

Libri

Libri legis cum Megilloth & Haphtharis, Ebraice, Constantiae. in 4to 1540.
N. T. Syriacum Jo. Alb. Widmanstadii, Viennae. — 1555.
N. T. Syriacum Mart. Trostii, Cothenis. — 1622.
Matthaeus & Marcus in 12 linguis per El. Hutter. Nor. — 1599.

F

N. T. Graecum Erasmi Schmidii per Aug. Borecium, Wittemb. in 4to. 1622.
N. T. Crobaticum Primi Truberi lit. Glagolicis, Tubingae, P. I. — 1562.
Biblia Germanico Latina, typis Jo. Cratonis, Wittemb. T. I-X. — 1574.
Biblia Germ. pentapla per Herm. Henr. Hollium, Wandesb. T. I-III. — 1710-12.
Mistische und Profetische Bibel Henr. Horchii, Marburg. — 1712.

G

Biblia Germ. Joh. Bugenhagen durch Lud. Dietz, Lubecae. in fol. 1533.
Das N. T. deutsch, Wittenb. — 1522.
Das N. T. deutsch Martin Luther, Wittenb. druckt Melchior Lotther. in 8vo. 1523.
Biblia Germ. Jo. Piscatoris, Herborniae, Vol. I-IV. in 4to. 1617.

H

H

Biblia Polonica Budnaeana per Dan. Lencicium, Zaslaviae.	in 4to.	1572.
Biblia Polonica per Andr. Huñefeld, Gedan.	in 8vo.	1632.
N. T. Polon. per Melch. Neringam, Thorun.	in 4to.	1585.
N. T. Polonicum, Wilnae.	—	1592.
Biblia Bohemica.	in 8vo.	1596.
Biblia Anglica & quidem regia per Robert. Barnerum, Londini.	in 4to.	1612.
Biblia Anglica regia, Londini.	in 8vo.	1618.
Eadem.	—	1621.
Biblia Suecica per Jac. Marci, Lugd. Bat.	—	1636.

I

Bibel teutſch, der erſt Tail, Augspurg,	in fol.	1518.
Biblia dûdeſch dorch Hans Witten, Bart.	in 4to.	1588.
Biblia Lat. Kobergeri per Jo. Marion. Norimb.	in fol.	1520.
Biblia Lat. Hier. Frobenii, Baſileae.	—	1530.
Biblia Britto- Wallica, Llundain,	in 8vo.	1689.
Biblia Lat. ex officina Mareſchalli, Lugd.	—	1019.
	vel potius	1519.
Biblia Lat. Roberti Stephani, Lutet.	—	1585.

Errores.

Plag. A 3 pro הֹוָה legas הֹוִת, ac plag. F 2 in not. e in Bibl. ſacra pro T. I. pag. 401 ſcribas T. II. p. 488, & ſic forte in aliis, quae pro humanitate Tua corrigas, majorem in modum peto.

BIBLIOTEKA W TORUNIU UNIWERSYTECKA
Biblioteka Publiczna w ELBLĄGU